Digitized by Google

XAVERII GMEINERI

INSTITUTIONES
JURIS ECCLESIASTICI,

AD PRINCIPIA JURIS NATURÆ ET CIVITATIS
METHODO GEOMETRICA ADORNATÆ,

ET

GERMANIÆ ACCOMMODATÆ.

TOMUS I.

COMPLECTENS

JUS ECCLESIASTICUM PUBLICUM.

VENETIIS,
SUMPTIBUS FRANCISCI EX NICOLAO PEZZANA.

MDCCLXXXIII.

CUM APPROBATIONE, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Etſi eccleſia ſocietas inæqualis, cujus ſtatum publicum Chriſtus ipſe ordinavit, formamque ſacri regiminis præſcripſit, ut vel ex hoc ſolo adpareat, quam inepti ſint illi, qui in quæſtionibus juris eccleſiaſtici publici ad ſolas ſuas decretales confugiunt, ſed & illud jam intelligitur, *quam ſummè neceſſarium ſit jus hoc publicum tota, ut ajunt, opera addiſcere, illudque fundamenti loco præ oculis ſemper habere*. Paul. Joſ. a Riegger in Inſt. jur. eccleſ. part. 1. §. 156. edit. nov.

7

B. 5 — 376

Digitized by Google

P R Æ F A T I O.

E*vulgaveram biennium ante vernacula noſtra compendium Juris eccleſiaſtici tum publici, tum privati, ſub titulo:* (Germ.) jus Eccleſiaſticum, juxta Propoſita de jure naturæ & gentium, de Logica & Politica, recto ordine mathematico, Tyronibus hujus ſcientiæ accommodatum. *Cum autem cogitaſſem, etiam exteros vernaculæ noſtræ ignaros academias Germaniæ viſitare, ut & illorum commodo proſpicerem, propoſui primitus illud latinitate donare; at mox ac operi manum admoviſſem, mutavi mentem, utilius ſtudioſæ legum juventuti futurum ratus, ſi hic loci materias quasdam ſcitu partim neceſſarias, partim non injucundas, quas in opuſculo germanico penitus ſilentio præterivi, adtingerem. Habes itaque, Lector benevole! opuſculum a germanico diſtinctum, illoque multis locis, & materiis auctius, adjectis etiam hinc inde iis, quæ ad jus eccleſiaſticum particulare Germaniæ pertinent. Methodum geometricam (quæ ut tandem omnibus adplicaretur diſciplinis, peroptandum foret) quantum potui, ſervavi, probe gnarus, illam unicam eſſe ſibi ideas claras, diſtinctasque efformandi viam. Objectiones, quas ſolum in tyronum gratiam hinc inde adſcripſi, omnes rejeci ad ſcholia, ut ita poſitionum continuus habeatur nexus; ea vero, quæ ad jus eccleſiaſticum Germaniæ particulare pertinent, non ipſis inſerui capitibus, ſed ſpeciatim iisdem adplicavi, ne jus eccleſiaſticum* publicum univerſale, *cum jure eccleſiaſtico* publico particulari Germaniæ, *quorum quodlibet tanquam ſeparata diſciplina ſpectari poteſt, confundatur. Atque hic eſt ſcopus, & ordo hujus operis, de quo tibi, Lector benevole! rationem reddere volui.*

Dabam Gracii Styrorum anno 1781.

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

Avendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del Pubblico Reviſor *D. Natal dalle Laſte* nel Libro intitolato *Xaverii Gmeineri Inſtitutiones Juris Eccleſiaſtici &c. Stamp.*, non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Franceſco di Niccolò Pezzana* Stampator *di Venezia*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 8. Ottobre 1782.

(*Niccolò Barbarigo Riſ.*
(*Alviſe Contarini 2do K. Proc. Riſ.*

Regiſtrato in Libro a Carte 61. al Num. 583.

Davidde Marcheſini Segr.

JURIS

Digitized by Google

JURIS ECCLESIASTICI PUBLICI PROLEGOMENA.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione & diviſione juris eccleſiaſtici.

§. 1.

Scientia legum eccleſiaſticarum, conjuncta cum habitu eaſdem ſpeciebus obvenientibus, ſeu factis adplicandi, *jurisprudentia eccleſiaſtica* adpellatur.

Schol. Ex definitione data adparet, jurisprudentiam eccleſiaſticam duabus abſolvi, & conſtitui partibus, quarum una *theoretica*, *practica* altera dici poteſt. Prima in ſola cognitione legum conſiſtit, atque ideo *jurisſcientiæ* accepit nomen; altera leges cognitas factis, & circumſtantiis particularibus adplicat, unde *jurisprudentia*, ſeu *juriſperitia* eſt dicta. Daries Inſtitut. jurispr. univ. §. 3. edit. 6.

§. 2. Jurisprudentia eccleſiaſtica eſt ſcientia legum eccleſiaſticarum (§. 1.) Hæ vel ab ipſo Chriſto, eccleſiæ fundatore, vel ab eccleſiæ poteſtate legislativa * deſcendunt, atque adeo *ratione originis* jus eccleſiaſticum partim *divinum*, partim *humanum* eſſe intelligitur.

* Eccleſiam poteſtate pollere legislativa, in parte prima demonſtrabitur. Interim hæc poſitio tamquam lemma ex theologia dogmatica deſumptum ſpectari poteſt.

§. 3. Leges a poteſtate legislativa eccleſiaſtica deſcendentes (§. 2.) vel per totam eccleſiam vel ſolummodo intra limites cujuſdam regni, aut provinciæ obtinent, quare jus eccleſiaſticum humanum *ratione extenſionis* aut *univerſale*, aut *particulare* eſſe poteſt.

§. 4. Complexus legum eccleſiaſticarum ex legibus tum divinis, tum humanis conſtat (§. 2.) At nec primæ, nec alteræ omnes litteris conſignatæ ſunt, ſiquidem Chriſtus aliqua fidei, doctrinæque ſuæ capita viva voce ad nos uſque pervenire voluit (per dem. in theol. dogm.); legum vero eccleſiaſticarum multæ uſui & conſuetudini originem debent ſuam. Hinc rurſus conſequitur, jus eccleſiaſticum *ratione modi*, quo nobis innoteſcit; in *ſcriptum*, & *non ſcriptum* abire,

§. 5. Leges eccleſiaſticæ humanæ non una die, ſed ſucceſſive ad hodiernam excrevere molem. Nam tribus prioribus ſeculis eccleſia vix alias habuit leges, quam ſcripturam veteris & novi teſtamenti, partim quia charitas, qua ducebantur chriſtiani, legibus deciſioni litium inſervientibus vix locum fecit, par-

Digitized by Google

partim quia perſecutiones paſtoribus impedimento fuere, quo minus in unum locum congregati communi conſilio de ordinanda eccleſiæ diſciplina deliberare poſſent. At ceſſantibus ſeculo quarto perſecutionibus ſub ipſo jam Conſtantino M., qui primus inter Imperatores ad chriſtiana ſacra tranſiit, ac per ſequentia dein ſecula concilia ſunt celebrata, aliæque editæ conſtitutiones, ut & pullulantes hæreſes reprimi, & diſciplina conſtitui poſſit. Atque ita plures identidem exortæ ſunt leges; donec ad hodiernam excrevere molem.

§. *6.* Quare cum leges eccleſiaſticæ ſucceſſive creverint, (§. 5.) etiam *ratione temporis* jus eccleſiaſticum dividi cœpit. Tres vero hujus diviſionis ſtatutæ ſunt epochæ, quarum prima ab eccleſiæ incunabulis ad Gratianum uſque Benedictinum monachum, qui anno 1151. novam canonum collectionem edidit; ſeſe extendit, atque jus eccleſiaſticum *vetus* complectitur. * Altera jus eccleſiaſticum *novum* conſtituit, continens tum illas leges, ac conſtitutiones, ex quibus corpus juris canonici conſtat, tum reliquas, quæ intermediæ prodierunt, eique inſertæ non ſunt. Omnes vero a compilatione dicti corporis juris editæ, jus eccleſiaſticum *noviſſimum* abſolvunt.

* Non quidem ignoro, quoſdam jus eccleſiaſticum *vetus* ultra tempus collectionis pſeudoiſidorianæ non extendere, eo quod per ſpurias Iſidori decretales jus plane novum inductum ſit; ſed quia iſtud ante Gratiani decretum nec ſatis commune, nec ubique notum fuerat, recte prima epocha ad Gratianum uſque extenditur, qui, merces Iſidori ſuo inſerendo decreto, iis non modicam conciliavit authoritatem.

§. 7. In omni ſocietate, quæ ordine parentium, & præcipientium conſtat, tum nexus membrorum ſocietatis cum Imperante, tum nexus membrorum inter ſe datur, quoniam varia ſunt jura, & obligationes Imperantis erga ſubditos, horumque rurſus erga illum, æque ac ad cetera ſocietatis membra (per dem. in jur. civil.). Quum itaque interim inſtar lemmatis aſſumpſimus, in eccleſia quoſdam præcipere, obedire alios (§. 2. Schol.), nexus quidam Imperantes eccleſiaſticos, ceteraque eccleſiæ membra intercedere debet. Leges illæ, quæ determinant nexum membrorum cum Imperantibus eccleſiaſticis, jus eccleſiaſticum *publicum*, & quæ determinant nexum membrorum eccleſiæ inter ſe, jus *privatum* conſtituunt.

CAPUT SECUNDUM.

De principiis juris eccleſiaſtici.

§. 8. Principium in genere eſt omne id, quod rationem alterius in ſe continet. Illud itaque, quod ſufficiens eſt ratio propoſitionem aliquam adſerendi, *principium demonſtrandi* erit.

§. 9. *Qualibet ſcientia principia demonſtrandi domeſtica habere debet.* Scientia eſt habitus adſerta ſua demonſtrandi (per def. in Logic.), tum vero adſerta noſtra demonſtrare dicimur, quando illa ex principiis certis nexu legitimo deducuntur, cum ratione ea adſerendi ſufficientem in ſe contineant, principia ſunt demonſtrandi. (§. 8.) Hæc itaque quævis ſcientia ſibi propria habet.

§. 10. Juriſprudentia eccleſiaſtica eſt ſcientia. (§. 1.). Quævis ſcientia principia demonſtrandi domeſtica habere debet. (§. 9.), quare neque juriſprudentia eccleſiaſtica iis deſtituta eſſe poteſt.

§. 11. Quæcumque in juriſprudentia eccleſiaſtica demonſtranda ſunt, eo ultimatim reducuntur, ut oſtendatur, num hæc, aut illa lex in eccleſia adſit? cum

Digitized by Google

cum ea ſit ſcientia legum eccleſiaſticarum. (§. 1.) Illud itaque, quod continet rationem exiſtentiæ legum eccleſiaſticarum ſufficientem, principium erit demonſtrandi domeſticum. Quum vero ratio ſufficiens legum eccleſiaſticarum in voluntate legiſlatorum eccleſiaſticorum ſubditis manifeſtata conſiſtat, etiam hac cognita, illarum exiſtentia cognoſcitur. Quare pro criterio cognoſcendi principia demonſtrandi, hæc aſſumi debet propoſitio: *Omne illud, ex quo voluntas legiſlatorum cognoſci poteſt, inter principia juriſprudentiæ eccleſiaſticæ eſt numerandum.*

§. 12. Primus & maximus in eccleſia legiſlator eſt ipſe fundator ejuſdem Chriſtus, proin id, ex quo voluntas Chriſti cognoſcitur, primum & fundamentale in jurisprudentia eccleſiaſtica eſt demonſtrandi principium. (§. 11.) Voluntas Chriſti maxima quidem ex parte, attamen non perfecte ex ſcripturis ſacris intelligitur, quoniam quædam viva voce ad nos uſque pervenire voluit. (§. 4.) Itaque *ſacra ſcriptura & traditio divina* fundamentale ſunt demonſtrandi principium.

Corol. 1. Hinc adparet, quod minus recte Decretaliſtæ totam jurisprudentiam eccleſiaſticam in corpore juris canonici contineri, omniaque textibus ex illo deſumptis ſufficienter demonſtrari poſſe exiſtimaverint.

Corol. 2. Jus itaque eccleſiaſticum divinum (§. 2.) in ſcripturis & traditionibus continetur.

§. 13. Ut voluntas Chriſti ex ſcriptura & traditione & rite intelligi, & abſque periculo errandi ad demonſtrandum adpiſcari poſſit, ſenſus ſcripturarum verus ut indagetur, traditioneſque divinæ a non divinis ſecernantur, * eſt neceſſe. Tradunt Theologi ſcripturam ad ſenſum Patrum eſſe interpretandam, iique ipſi cuſtodes & depoſitarii ſunt traditionis divinæ. Patet itaque, qua ratione ſcripta Sanctorum Patrum principiis jurisprudentiæ eccleſiaſticæ adnumerari queant.

* Communiter hi genuinæ traditionis characteres dicuntur: ut ea non ſit contraria rectæ rationi, aut textui ſcripturæ, & ut ubique, ab omnibus, omni tempore fuerit recepta & cognita.

§. 14. Leges, quas ex ſcriptura & traditione cognoſcimus, ſunt divinæ; atque adeo jus eccleſiaſticum divinum conſtituunt. (§. 12. Corol. 2.) Poſtquam autem Chriſtus ad patrem ſuum rediit, poteſtatem ferendi leges, quam in terris degens privative exercuit, in apoſtolos, eorumque ſucceſſores epiſcopos tranſtulit (§. 2. ad Schol.) Quare cum & hi in eccleſia ſunt legiſlatores, illa, ex quibus eorum voluntas intelligitur, principia erunt demonſtrandi (§. 11.) jus eccleſiaſticum humanum comprehendentia.

§. 15. Apoſtoli, eorumque ſucceſſores epiſcopi poteſtatem ferendi leges aut exercuerunt congregati in loco uno, aut non. Primo in caſu dicuntur celebrare concilium, unde decreta conciliorum demonſtrandi principiis adnumeranda ſunt.

Corol. Cum concilia aut generalia, aut particularia eſſe poſſint, patet, decreta priorum jus univerſale, poſteriorum vero particulare (§. 3.) conſtituere.

§. 16. Cum vero par ſit ratio, ſive epiſcopi in unum conveniant locum ad determinanda varia, ſive diſperſi in idem conſentiant, totius eccleſiæ per orbem diſperſæ conſenſus eandem cum conciliorum generalium decretis vim habet, atque adeo non minus, quam concilia (§. 15.) inter demonſtrandi principia referri debet.

Corol. Etſi decreta conciliorum generalium particulare jus conſtituant (§. 15. Corol.) tamen, ſi ab univerſa recipiantur eccleſia, in vim conciliorum generalium aſſurgunt, quoniam his conſenſum eccleſiæ æquivalere in commate dictum eſt.

§. 17. Epiſcopi non tantum in loco uno congregati, ſed etiam quilibet ſeorſim poteſtatem exercere poteſt legislativam (§. 15.) Id ſi fiat, epiſcopus romanus primus, & maximus eſt legislator. * Quare Pontificum præprimis, dein & ceterorum epiſcoporum decreta pro principiis demonſtrandi habenda ſunt.

* Pontificem habere primatum, ideoque primum inter ceteros epiſcopos eſſe legislatorem, ſuo loco oſtendetur. Habe id interim pro lemmate ex theologia dogmatica.

§. 18. Principia hucusque expoſita immediate a legislatoribus deſcendunt eccleſiaſticis, quapropter & *principia proxima* adpellantur. Sunt præter hæc & alia, quæ, quoniam a ſacra poteſtate haud deſcendunt, *remota* vocamus, cujusmodi præprimis ſunt Imperantium civilium leges. Cum enim diſciplina eccleſiæ exterior ſæpe aliquid admixtum habet, quod ad ſtatum ſocietatis civilis pertinet, hujuſque determinatio jus ſit majeſtaticum, Imperantium civilium leges nos voluntatem illorum quoad res mixti fori docentes, non niſi immerito a remotis demonſtrandi principiis excluſeris.

Schol. De ejuſmodi diſciplinæ exterioris partibus, hiſtoria teſte, interdum integræ nationes *pacta ſingularia* iniere, quorum complexus earumdem nationum jus eccleſiaſticum particulare conſtituit.

§. 19. Leges naturales æternæ ſunt, & immutabiles (pr. dem. in jur. nat.) itaque non tantum non poterant a lege revelata abrogari, ſed potius confirmari debuerant. Inde autem ſequens fluit propoſitio. *Quidquid lege naturali eſt præceptum, cum voluntate Chriſti conſpirat, & quidquid eſt vetitum, eidem repugnat.* * Quoniam porro illa, ex quibus voluntas Chriſti intelligitur, fundamentalia demonſtrandi principia eſſe diximus, (§. 12.) ſatis liquet, iisdem & jus naturæ accenſeri debere.

* Quantus hujus propoſitionis in jure eccleſiaſtico ſit uſus, in ſectione tertia adparebit. Sane ab eo tempore, ex quo jus naturæ excoli cœpit, etiam jus eccleſiaſticum indies amœniorem induere faciem vidimus, tam arctus enim inter jus utrumque, eccleſiaſticum nimirum & naturale eſt nexus, ut dum jura Imperantium circa ſacra determinanda ſunt, ea non aliunde, quam ex jure naturæ civitatibus adplicato deduci queant: atque inde factum fuiſſe exiſtimo, quod quosnam, cum in jure publico univerſali, ſeu civitatis ſint hoſpites, modernum juris eccleſiaſtici ſyſtema adeo offenderit. Illud interim moneo, neminem genuini juris eccleſiaſtici intima penetrare poſſe, niſi logices & metaphyſices, juris naturalis tum ſtricte ſic dicti, tum illius, quod jus civitatis adpellamus, theologiæ dogmaticæ, hiſtoriæ eccleſiaſticæ, & pro jure eccleſiaſtico Germaniæ particulari hiſtoriæ imperialis notitia rite inſtructum.

ADPLICATIO CAPITIS SECUNDI
AD GERMANIAM.

§. 20. Jus eccleſiaſticum aut univerſale, aut particulare cuidam tantum regno vel provinciæ conveniens eſt. (§. 3.) Leges a Chriſto ipſo datæ univerſam obligant eccleſiam, atque adeo ad univerſale jus pertinent; at de diſciplinæ exterioris partibus integræ quandoque nationes pacta iniere ſingularia, quorum complexus earundem jus eccleſiaſticum particulare conſtituit. (§. 18. Schol.) Quod ſi itaque etiam Germania ejusmodi habet pacta, dubium remanet nullum, exiſtere jus quoddam eccleſiaſticum Germaniæ particulare, * cujus demonſtrandi principia ea ipſa ſunt pacta. Porro rem ita ſe habere, jam demonſtratum ibo.

* Eſt enim jus eccleſiaſticum publicum univerſale ſcientia legum eccleſiaſticarum (§. 1.) totam eccleſiam concernentium, ergo jus eccleſiaſticum particulare Germaniæ erit ſcientia legum eccleſiaſticarum ſoli Germaniæ propriarum; proin ſi exiſtunt leges eccleſiaſticæ ſoli Germaniæ propriæ, exiſtit etiam jus eccleſiaſticum particulare Germaniæ.

§. 21. Qui vult demonſtrare exiſtentiam legum & pactorum jus eccleſiaſticum Germaniæ particulare conſtituentium, vult demonſtrare rem *facti*. Facta demonſtrari nequeunt niſi ex teſtibus, aut circumſtantiis (per dem. in logic.) Notitia itaque hiſtorica dictorum legum, & pactorum eſt præmittenda.

§. 22. Cum modum eligendi epiſcopos nec Chriſtus, nec apoſtoli determinaſſent, ab antiquiſſimis jam temporibus tum Pontificis, tum ceterorum epiſcoporum electio communibus populi, & cleri ſuffragio peragebatur. At cum populus turbas ſæpius excitaverit, paulatim ab electione removeri cœpit, retentis ſolis primatibus, & nobilioribus, quod non efficere non potuit, ut & regum autoritati plurimum in electione epiſcoporum tribueretur. Quia vero epiſcopi Germaniæ regalia multa poſſidebant, peracta modo nunc expoſito electione ſub ſtirpis Carolinæ, & Saxoniæ regibus addita eſt iis inveſtitura per *annulum, & baculum*, atque juramento, quod *hominium*, vel *homagium* dicebatur, regi ſeſe obſtrinxere.

§. 23. Peragebatur ſemper inveſtitura dicto modo ad Pontificem Gregorium VII. uſque, qui primus hunc inveſtiendi morem reprobavit eo ex capite, quod per annulum & baculum non tam feudi eccleſiaſtici, quam ipſius epiſcopalis dignitatis jura tradi viderentur. Quapropter in duobus conciliis romanis, quorum primum anno 1078., alterum anno 1080. eſt celebratum, irritavit, immo & anathemate perculit. Præterea idem conqueſtus eſt Pontifex, ab Henrico Imp. hominibus minime dignis turpi quadam nundinatione munia eccleſiaſtica conferri.

§. 24. Inhæſerunt exemplo Gregorii ejus ſucceſſores Victor III., Urbanus II. & Paſcalis II., eundemque inveſtiendi morem reprobarunt, quamvis Paſcalis II. Cabilloni ad Maronam a legato Cæſaris conventus eſt, & Brunonis Archiepiſcopi Trevirenſis oratione permotus de reddenda concordia inter imperium & ſacerdotium cogitaret. Hac ex ratione primo Sutri anno 1110., & iterum Romæ anno ſequenti daturum ſe operam Pontifex promiſit, ut epiſcopi regalia reddant, ſi contra etiam Imperator jure inveſtiendi ſe abdicaret. At nihil per id eſt actum, partim quia abdicationem regalium epiſcopi Germaniæ non æquo tulere animo, partim quia Viennenſe concilium omnem inveſtituram de manu laica factam hæreſim judicabat.

§. 25. Ita per annos prope quinquaginta diſſidium iſtud imperium & eccleſiam lacerabat, donec tandem anno 1122. VVormatiæ ad exitum eſt perducta tranſactio inter Calixtum II. Pontificem, & Henricum V. Imperatorem ita, ut quidem Imperator inveſtituram conſervet, at non annulo & baculo, quæ ſpiritualem dicebantur ſignificare poteſtatem, ſed *ſceptro* peragendam.

Schol. Tanta lætitia hæc concordia per omne imperium eſt ſuſcepta, ut extent diplomata, in quibus ab ea, tanquam a ſalutari epocha annorum notæ ordinantur.

§. 26. *Tranſactio calixtina Habet Naturam veri pacti.* Pactum eſt conſenſus liber duorum, aut plurium in idem. Quum itaque Imperator & Pontifex conſenſerint in inveſtituram non annulo & baculo, ſed ſceptro peragendam, (§. 25.) ſequitur eosdem celebraſſe pactum.

Schol. Pontifex eandem tranſactionem in concilio generali anno ſequenti 1123. Romæ habito confirmavit.

§. 27.

Digitized by Google

§. 27. *Tranſactio calixtina ad demonſtrandi principia juris eccleſiaſtici Germaniæ pertinet*. Omne illud eſt demonſtrandi principium in jure eccleſiaſtico, ex quo voluntas legislatoris cognoſcitur. (§. 11.) Ex tranſactione Calixtina voluntas legislatorum tum Pontificis, tum Imperatoris intelligitur, quoniam in inveſtituram in Germania determinato modo peragendam conſenſerunt; (§. 26.) patet itaque propoſitum.

§. 28. Compoſitum dicto modo diſſidium inter imperium, & ſacerdotium (§. 25.) haud ita firmum fuit, ut non iterum novæ diſcordiarum cauſæ enatæ ſint. Jus epiſcopos eligendi, quod penes populum & clerum ſtetiſſe dictum eſt, (§. 22.) ſeculo 13. in Germania ad capitula cathedralia tranſiit, inferiora vero beneficia ex antiquiſſima eccleſiæ diſciplina epiſcopi conferebant. At introductis reſervationibus Pontificiis totum hoc immutatum eſt, graveſque in utraque republica lites excitatæ.

Schol. Origo & incrementa reſervationum, & proviſionum apoſtolicarum ſuo loco recenſebuntur, quoniam pro præſenti ſcopo ſcire ſufficit, eas anſam novo dediſſe diſſidio.

§. 29. Occaſionem imponendi finem querelis, ob auctas multum reſervationes ortis; ſuppeditare videbatur concilium, quod ſchiſmatis extinguendi cauſa Conſtantiam anno 1414. convocatum eſt. Natio Germanica gravamina ſua *aviſamentorum* ſub nomine eidem obtulit. At Martino V. citius opinione ad Pontificatum evecto, & reformationis negotio ad proximum concilium rejecto, Germani præter concordata ad quinquennium duratura de regiminis eccleſiaſtici emendatione tum quidem obtinuere nihil.

§. 30. Repetitæ ſunt res in concilio, quod anno 1431. Baſileæ celebrari cœpit, ubi Patres exſtirpandis his malis omni contentione incumbentes in Seſſione 21. decreta ſtatuerunt Germanis ſat favorabilia, quæ tamen effectu caruerunt. Eugenio IV. poſt Seſſionem 25. concilium diſſolvente, illudque reluctantibus pleriſque Patribus Ferrariam anno 1438. transferente, ob quod Patres in Eugenium inſurgentes, eum exauthorizarunt, Amadæumque Sabaudiæ ducem ſub Felicis V. nomine Papam ſalutarunt.

§. 31. Germani quidem ab initio neutrales, nec Eugenio adverſus Patres Baſileenſes, neque his adverſus illum adhæſerunt. At cum Colonienſis & Trevirenſis Archiepiſcopus dignitate ſua ſunt dejecti, ceterique electores graviter per id offenſi, anno 1446. Francofurti conveniunt, Cæſarique Friderico denunciant, ſe niſi Eugenius Papa latam contra Archiepiſcopos ſententiam revocaret, nationis Germanicæ gravamina tolleret, repudiata neutralitate Felici V. adhæſuros. Legatis hinc inde ſæpius miſſis opera præcipue Æneæ Sylvii Germani tandem Eugenio anno 1447. obedientiam præſtiterunt, atque editis ab Eugenio diverſis bullis concordia cum Imperatore & imperii Principibus eſt redintegrata, cui quidem Eugenius non diu ſuperſtes erat.

§. 32. Nicolao V., quumprimum ad Pontificatum fuit evectus, hæc prima fuit cura, ut anteceſſoris ſui Eugenii IV. acta rata haberet, & inchoatæ paci ſupremam impoſiturus manum, & Germanorum gravaminibus ſatisfacturus in conventu Aſchaffenburgenſi (cui Fridericus III. Imp. cum electoribus pluribus, & imperii Principibus aderat) anno 1448. die 17. Februarii nova iniit cum Germanis concordata, quæ is eodem anno die 19. Martii * ſingulari conſtitutione confirmavit.

* Cave, ne exiſtimes, bullam confirmatoriam inſtrumento concordatorum priorem eſſe propterea, quod in concordatis annus 1448., & in illa annus 1447. habeatur. Nam in concor-

cordatis ſtylus communis civilis anni 1448. eſt ſervatus, in bulla vero confirmatoria ſtylus cancellariæ apoſtolicæ eſt adhibitus. Jam ad cancellariæ normam annus eccleſiaſticus in feſto annunciationis 25. Martii initium ſumit. Inde autem patet, quod, quia bulla confirmatoria in cancellaria eſt expedita 19. Martii, annum eccleſiaſticum nondum fuiſſe elapſum, etſi annus civilis 1448. jam a prima Januarii currere cœperit.

§. 33. Atque hæc ſunt celeberrima illa nationis germanicæ concordata, ſeu ſolemnis conventio, & ſanctio pragmatica inter Nicolaum V. Pontificem & Fridericum III. Imperatorem, reliquosque imperii ſtatus facta, in quibus collationes beneficiorum certis regulis determinantur.

Schol. Locus concordatorum præcipua capita exponendi aptus is erit, in quo de beneficiis, eorumque collatione dicetur.

§. 34. *Concordata relate ad Imperatorem & Pontificem vim Pacti habent.* Nec Imperator a Pontificis, nec hic ab illius dependet arbitrio, atque adeo uterque libere in concordata conſenſit. Quoniam vero liber conſenſus duorum in idem pactum ſit, (§. 26.) jam liquet idem de concordatis relate ad Imperatorem, & Pontificem dicendum eſſe.

Schol. 1. Non tamen defuere, qui concordata merum Pontificis privilegium dicebant, partim quia in bulla Nicolai V. confirmatoria hæc leguntur verba: *nobis humiliter ſupplicari fecerunt*, quæ cum pacto non cohærent, cum paciſcentes ſupplicare haud ſoleant, partim quia in concordatis actum eſt de beneficiis, aliisque juribus ſpiritualibus, quæ cum in commercio humano non exiſtant, materia contractus eſſe nequeunt. Verum paciſcentes ſolum ex veneratione erga Sedem romanam concordatorum confirmationem petiere, quæ Pontifex in eadem bulla non tantum ut *concluſa adprobat*, ſed etiam *acceptat*. Privilegia vero *dantur*, non *acceptantur*. Dein etſi beneficia, in quantum officium dicunt ſacrum, juribus ſpiritualibus adnumeranda ſint, tamen aliter eſt dicendum, ſi conſiderentur iis adnexa alia jura & dignitates, uti jura Principis, Ducis, inde fluens ſuperioritas territorialis, & jus ſuffragii in comitiis, perceptio redituum & ſimilia, quæ jura, cum imperio ratione feudi ſubſint, quare in contractum venire non poſſent? Quid, quod & corpora humana materiam contractus matrimonialis conſtituere ſint apta, quin tamen in commercio exiſtant, & pretio phyſico ſint æſtimabilia? Adde in concordatis præcipue actum fuiſſe de *modo* beneficia conferendi, & de *taxis* ſolvendis, de quorum neutro Chriſtus quidquam ordinavit, nihil itaque ſpiritualium jurium utrique ineſt.

Schol. 2. Nullatenus etiam robur concordatorum inde infringitur, ſi dicatur: Pontificem ſine Chriſti offenſa juribus illis renunciare non potuiſſe, & ſi fecit, eum metu & violentia ad paciſcendum inductum fuiſſe; quid enim, an renunciando reſervationibus per duodecim & amplius ſecula in eccleſia ignotis juribus ab ipſo Chriſto acceptis renunciatur? & qua ratione eum metu ad paciſcendum inductum fuiſſe oſtendi poteſt? Reſervationes recenter excogitatæ Germaniæ juribus erant contrariæ; quapropter illi jus ſuum reparare, & læſionem avertere conabantur; qui vero jus ſuum reparat, nihil per vim aut metum extorquet.

§. 35. *Concordata relate ad ſtatus Imperii ſaltem ſingulos vim legis habent.* Imperatorem & Pontificem concordata ex pacto obligant, (§. 34.) itaque omnis actio concordatis contraria, voluntati eorum repugnat. Quoniam vero actio voluntati legiſlatorum (quales utique ſunt Imperator & Pontifex) repugnans, prohibita eſſe dicatur, prohibitioque in ſuo conceptu legem involvat, jam patet, concordata relate ad imperii Proceres ſaltem ſingulos vim legis habere.

Corol. Atque inde eſt, quod Imperator in capitulatione cæſarea ſoleat promittere: (*Germ.*) *Nos debemus & volumus ut præfata concordata Principum factaque pacta* —— *firmentur & exequantur*, Art. 14. §. 3.

§. 36. *Inter principia Demonſtrandi in jurisprudentia eccleſiaſtica germaniæ particulari concordata referenda ſunt.* Per concordata manifeſtant legiſlatores, quomodo bene-

beneficia in Germaniæ eccleſiis conferri velint. (§. 33. & 35.) Illud vero ex quo voluntas legiſlatoris agnoſcitur, principium eſt demonſtrandi in jurisprudentia, (§. 11.) atque adeo habes id, quod erat oſtendendum.

§. 37. *Cauſæ concordatorum controverſæ ex iis rite interpretatis ſunt decidendæ.* Concordata in tantum ſunt principia demonſtrandi, in quantum ex iis voluntas legiſlatorum intelligitur, (§. 36.) tum vero voluntatem legiſlatoris intelligimus, dum illum conceptum cum verbis legis copulamus, quem ipſe legiſlator intendit. Quoniam vero ex verbis legis mentem legiſlatoris eruere, ſit legem interpretari, (per def. in Logic.) conſequitur, cauſas concordatorum controverſas ex iis rite interpretatis decidendas eſſe.

§. 38. *Interpretatio legalis concordatorum, ſive ea ſpectentur ut pactum,* (§. 34.) *ſive ut lex,* (§. 35.) *non a ſolius Pontificis dependet arbitrio.* Pactum neutram paciſcentium partem ultra obligat, ac ſe ipſa obligare voluit, quoniam autem interpretari pactum, ſit declarare, quousque ſe quis obligare velit, ſolius Pontificis declaratio ſine Imperatoris conſenſu facta operari nihil poteſt. Id, quod erat primum.

Lex ab illo legaliter interpretari debet, qui eam condidit, at non ſolus Pontifex, ſed etiam cum eo Imperator legem concordatorum Germanis dedere, (§. 35.) ab utroque itaque interpretatio eorundem, ſi qua lex ſpectentur, eſt facienda. Id quod erat alterum.

Corol. Ergo interpretationes concordatorum in bulla Pii IV. & V., Alexandri VI., Gregorii XIII. & Rotæ Romanæ, niſi conſenſus Imperatoris doceri valeat, legales eſſe, & pro principio demonſtrandi adplicari nequeunt.

§. 39. Alia duo ſtatum eccleſiæ germanicæ concernentia pacta erigendi occaſionem dederat nova a Luthero tentata religionis reformatio, cujus conatus non obſtantibus comitiis VVormatienſibus anno 1521. a Carolo V., & ſtatibus imperii conditis brevi tempore vires cœperunt. Hoc edictum VVormatienſe, cum præter Cæſaris expectationem effectu caruerat, excepere comitia Norimbergæ habita, ac tandem anno 1524. decretum prodiit, ut omnes edictum VVormatienſe adcuratiſſime cuſtodiant, ſubditisque ſuis cuſtodiendum mandent, adjecta clauſula, ut ad tollendas controverſias proxime ſynodus generalis convocanda ſit.

§. 40. Proteſtantes ad reſiſtendum Imperatori de novo & arctiori fœdere ineundo cogitarunt, & tandem in fœdere Schmalkaldico, anno 1536. perfecto, conſilium iniverunt, Cæſari armis reſiſtendum eſſe, ſi ab eo quempiam invadi contingat. Quum igitur Cæſar videret Proteſtantium animos nulla ratione flecti poſſe, ad rumpendum illud fœdus arma ſumpſit, qua occaſione Saxonum exercitus proſtratus, & ipſe Elector captus eſt.

§. 41. Poſt hæc nova Auguſtæ Vindelicorum anno 1548. comitia ſunt celebrata, in quibus ſtatus omnes definitioni concilii univerſalis adquieſcere promiſerant. His promiſſis contentus Cæſar, bello abſtinuit, deditque operam, ut ſynodus œcumenica Tridenti cœpta negotium omne celerrime finiret. Cum autem definitio concilii præter ſpem diutius protraheretur, indies magis Lutheri doctrina incrementum cœpit. Itaque Cæſar opera præſtantiſſimorum tunc temporis theologorum conſtitutionem edidit, qua Proteſtantes uſque ad definitionem concilii tanquam regula uterentur, quæque conſtitutio *Interim* adpellata eſt.

§. 42. At nondum his flectebatur Proteſtantium animus, & Mauritius ipſe anno 1552., cum omnia ad pacem compoſita viderentur, Cæſari repente bellum

lum indixit, tantaque ſimul intulit celeritate, ut Imperator Oeniponti commoratus, difficulter ſe fuga ſalvaverit.

§. 43. Cum itaque Imperator fractam vidiſſet pacem & fidem, bellum improviſum externo adjutum fœdere, nullum ad reprimendos hoſtes remedium, ut hanc periculoſi, & ancipitis belli tempeſtatem ſedaret, per Ferdinandum fratrem ſuum primum Lincii, tum Paſſavii conventum habuit, huicque transactioni in comitiis Auguſtanis anno 1555. pax religioſa eſt ſuperſtructa.

§. 44. Intelligimus vero per pacem religioſam ſolennem conventionem conſenſu Imperatoris & ſtatuum imperii utriuſque religionis in vim legis fundamentalis anno 1555. in comitiis Auguſtanis initam, vi cujus Proteſtantibus liberum religionis exercitium permittitur, jurisdictio eccleſiaſtica in eo ſuſpenditur, bonorumque eccleſiaſticorum hactenus ab eis occupatorum quieta relinquitur poſſeſſio.

§. 45. Reſtituit pax religioſa externam tantiſper pacem, at animorum diſſidium haud extinxit. Nata ſunt inde utriuſque partis gravamina, quæ neque comitiis eum in finem convocatis, neque ullo colloquiorum genere componi poterant. Inde autem factum eſt, ut in duas ſcinderetur rurſus Germania partes. Ventum eſt ad arma, & bellum triginta annis in Germania habitum, etſi ſub initium Cæſari faverit, eum tandem ultimatim aucto hoſtium numero eo adegit, ut aut pacem quærere, aut omnem rempublicam ſacram æque ac politicam periculo committere cogeretur. Quare anno 1640 de pace eſt cogitatum, conventumque anno ſubſequenti, ut cum Gallis & catholicis Monaſterii, cum Suecis autem & Proteſtantibus Oſnabrugæ in VVeſtphalia de pace reddenda cogitaretur, quod negotium anno 1644. inchoatum non ſine ingenti difficultate anno 1648. ad finem perductum eſt.

§. 46. Atque ita enata eſt pax Oſnabrugenſis, ſeu ſolennis transactio & conventio tum Ferdinandi III. Imperatoris & ſtatuum inter ſe, tum inter utrosque & Chriſtinam Reginam Sueciæ Oſnabrugæ anno 1648. inita, qua negotia religionis, & ad ſtatum publicum pertinentia, aliaque definita ſunt.

§. 47. *Pax religioſa* (§. 44.) *& VVeſtphalica* (§. 46.) *valide initæ fuere*. Vel pacta metu injuſte incuſſo extorta valida eſſe dicis, vel non. Si primum, patet propoſitum. Si alterum aſſertum, ita oſtendo: Si pacta ex metu injuſte incuſſo ſunt invalida, ea unice nulla ſunt in favorem metum paſſi, aſt favor catholicorum exigit, ut ſemper pacem VVeſtphalicam pro valida agnoſcant; ſiquidem ſi Deo permittente in extremas religio noſtra redigeretur anguſtias, nullaque alia ſpes ſupereſſet; niſi pax ſub duriſſimis ineunda conditionibus, religionis adverſarii pacem haud inirient, ſi conſtaret, catholicos in ejuſmodi pactis nullam obligationem agnoſcere, atque ita nullus diſcordiarum, ac bellorum foret finis.

Corol. Errant itaque ii, qui ex immoderato zelo pacem religioſam & Weſtphalicam invalidam proclamant, præbent enim occaſionem ſugillandi principia noſtræ religionis, & pacta nobiscum inita transgrediendi, quia jure extorſionis uti, & nobis opponere poſſunt: *quod quis juris in alterum ſtatuit, eodem & ipſe utatur*.

Schol. Fabius Chigyus legatus apoſtolicus binas quidem proteſtationes nomine Innocentii X. contra pacem Weſtphalicam palam dixit. ipſeque etiam Pontifex anno 1651. Romæ bullam ſingularem, quæ incipit: *zelo domus Dei*, promulgavit, irritumque declaravit, quidquid contra jura Sedis Romanæ eſt concluſum, aſt hoc nec valorem pacis negandi, nec proteſtationem Pontificis fruſtraneam declarandi ſufficiens eſt ratio. Nam per id ſatis valor pacis cum proteſtatione pontificia componi poteſt, quod hæc ad jura apoſtolicæ Sedis recuperanda valeat, ſi (quod utique impoſſibile haud eſt) Proteſtantes ad nos redirent, quæ ſublata proteſtatione haud recuperaret, quia *jura vigilantibus ſunt ſcripta*.

§. 48. *Pax religioſa, & VVeſtphalica licite ſunt initæ.* Malum minus ad impediendum majus licite permittitur. Idipſum autem in pace religioſa & VVeſtphalica eſt factum, minus ſiquidem eſt malum exercitium falſæ religionis in aliquibus imperii partibus, quam viribus reſiſtendi deficientibus, (§. 43. & 45.) per totum ut diffundatur imperium permittere.

Schol. Dici quidem poſſet, catholicos duobus modis ineundo pacem peccaſſe; primo dicendo in negotio fidei ſententiam, quod ſolius eſt eccleſiæ; ſecundo conſentiendo in alienationem bonorum eccleſiaſticorum conſenſu eccleſiæ neglecto. Verum primum eſt falſum, & alterum valori & liceitati pacis nihil obeſt. Nam nihil de religionis veritate, nihil de fidei articulis decidendis eſt actum, neque Principes catholici falſam religionem probarunt, ſed ſolummodo ad vitanda majora mala in falſæ tolerantiam coacte conſenſere. Dein quis ignorat, in ſumma neceſſitate conſenſum eccleſiæ ad alienanda bona eccleſiaſtica aut peti non debuiſſe, aut negari nequiviſſe? & oſtendetur ſuo loco, Imperantes res eccleſiaſticas vi alti & emimentis dominii in caſu neceſſitatis neglecto cleri conſenſu alienare poſſe, cum illæ tali in circumſtantia aliam quaſi induant naturam, non ſecus ac res privatorum, quæ ſiunt quaſi communes reſpectu hominis in neceſſitate extrema conſtituti. Quid, quod Imperator vero ſenſu bona eccleſiaſtica haud alienaverit, ſed potius illa ab hoſtibus vi rapta in eorumdem manibus reliquit, cum ea recuperandi impar fuerat?

§. 49. *Pax religioſa & VVeſtphalica Principiis juriſprudentiæ eccleſiaſticæ Germaniæ particulari adnumerari debent.* Utraque pax & valide (§. 47.) & licite (§. 48.) inita eſt, ac proin utraque leges imperii fundamentales conſtituit, quo poſito ſequitur id, quod erat oſtendendum (§. 11.)

§. 50. Principiis juriſprudentiæ eccleſiaſticæ Germaniæ hactenus recenſitis merito addenda ſunt concilia nationalia, (§. 15. Corol.) quæ cum autoritate Regum ſint indicta, & eccleſiaſticæ & civilis legis autoritatem accepere. Sed multo his majorem ſemper habuere capitularia Regum Francorum autoritatem * conventus nimirum illi publici procerum tum eccleſiaſticorum, tum politicorum præſidente ipſo Rege, aut ejus commiſſario, in quibus eccleſiaſtica non minus, quam civilia negotia deciſa ſunt.

* Quanta capitularium non tantum in Germania, ſed etiam Italia fuerit autoritas, teſtimonio eſt epiſtola Leonis IV. ad Lotharium Imperatorem ſcribentis: *De capitulis, vel præceptis imperialibus veſtris, veſtrorumque prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis & conſervandis, quantum voluimus & valemus Chriſto propitio, & nunc & in ævum nos conſervaturos modis omnibus profitemur. Et ſi fortaſſe quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, ſciatis, eum pro certo eſſe mendacem.* Sed & hoc ad commonſtrandam capitulatium autoritatem facit, quod Gratianus quamplurimum ex iis in decretum ſuum transtulerit.

JURIS

JURIS ECCLESIASTICI PUBLICI
SECTIO I.
DE NATURA ET INDOLE SOCIETATIS ECCLESIASTICÆ.

CAPUT PRIMUM.

De definitione, & diviſione Eccleſiæ.

§. 1.

STatus ille, in quo duo vel plures finem eundem obtinere conantur, ſocietas eſt. Quod ſi ergo aliqui adſint, qui ad Deum eodem modo colendum tendunt, finem habebunt eundem, atque adeo ſocietatem conſtituent.

§. 2. Religio eſt determinatus Deum colendi modus: ergo qui ad Deum eodem modo colendum tendunt, in religione conſentiunt. Societas eorum, qui in religione conſentiunt *eccleſia* adpellatur.

Corol. Ex data definitione ſequitur: diverſitatem cultus divini diverſas fundare eccleſias. Et quoniam mutatis dogmatibus cultus Dei eſſentialis mutatur, ex dogmatum diverſitate eccleſiarum diverſitas eruitur.

Schol. Data eccleſiæ definitio legibus legitimæ definitionis exactiſſime convenit, quoniam eſſentialia eccleſiam conſtituentia referuntur. Quaproter errant ii, qui hoc ex capite eam rejiciunt, quod nulla fiat unionis & ſubjectionis erga caput ceteroſque eccleſiæ paſtores mentio: hæc enim catholicæ, non item eccleſiæ in genere, & in theſi ſpectatæ convenit, atque adeo ſubjectionem erga caput, & ceteros eccleſiæ paſtores in definitione eccleſiæ ponendo, illa definitio anguſtior evaderet. Ferme ad eundem modum, ſicut ſocietatem definiturus, non recte diceret, eſſe ſtatum, in quo plures ad finem eundem *admiſſo imperio* tendunt, quia imperium ſocietati cuilibet in genere, & in theſi ſpectatæ non convenit.

§. 3. Cum recta ratio doceat, Deum actionibus tum internis, tum externis colendum eſſe (per dem. in jur. nat.), cœtus hominum ad perfectiones Dei utriusque generis actionibus manifeſtandas conſentire debet. Pone itaque plures ex eo fine inter ſe convenire, ut non tantum in eſſentialibus religionis naturalis (quam alioquin ubique unam eandemque eſſe oportet), ſed etiam in accidentalibus * conſentientem habere velint Deum colendi modum, & habebis *eccleſiam naturalem*.

* Accidentalia religionis naturalis complexus earum actionum ad cultum Dei ſpectantium conſtituit, quas ponendi modus a jure naturali determinatus non eſt.

§. 4. Homines in eccleſia naturali (§. 3.) exiſtentes graviſſimam habent obligationem inquirendi, utrum Deus per revelationem eſſentialibus religionis naturalis non ſuperaddiderit determinatum eum colendi modum. Quamprimum itaque ejusmodi extare revelationem intelligunt, Deo cultum huic normæ con-

Digitized by Google

formem exhibere tenentur. Illi, qui in modo Deum colendi per revelationem innoteſcente conſentiunt, eccleſiam conſtituunt *poſitivam*.

§. 8. Modum, quo Deus quondam coli voluit, Moyſen promulgare juſſit. Populus is, cui lex moſaica eſt data, eccleſiam conſtituit *moſaicam*. At Dei filius humana aſſumpta natura in terris degens, religionem moſaicam ſe abrogaturum, illiuſque loco aliam erecturum, & prædixit & fecit, (Lemma ex theol. dogm.) quare illi, qui in modo Deum colendi a Chriſto determinato conſentiunt, eccleſiam conſtituunt *chriſtianam*.

Corol. Societates coaleſcunt vel ex pacto, vel a legitima poteſtate præcipiuntur. Primo in caſu *voluntariæ*, in ſecundo *neceſſariæ* adpellantur. Chriſtus ut Deus-homo legitimam habuit poteſtatem eccleſiam ſuam inſtituendi; eſt itaque eccleſia chriſtiana ſocietas neceſſaria.

CAPUT SECUNDUM.

De jure determinandi in Eccleſia.

§. 6. Finis ſine mediis obtineri nequit. (per princ. ontolog.) Membra cujusvis ſocietatis communem habent finem, (§. 1.) qui *finis ſocialis* adpellari conſuevit, quapropter media ad eum conſequendum determinari debent. Inde vero porro conſequitur: jus determinandi ea, quæ ad commune bonum, finemque ſocialem promovendum pertinent, ſocietatibus proprium eſſe.

§. 7. Eccleſia eſt ſocietas. (§. 2.) Quum itaque jus determinandi ſocietatibus competit, (§. 6.) illud & in eccleſia adeſſe eo minus dubitandum eſt, quo magis indoles ſocietatis eccleſiaſticæ præ ceteris id expoſcit; nam ceteræ ſocietates non ita, ſicut eccleſia, per univerſum ſe diffundunt orbem, atque adeo in ſola ſocietate eccleſiaſtica tot gentes, quæ climate, moribus, conſuetudinibus & genio plurimum differunt, unitis viribus ad finem communem tendere debent; quod quomodo fieri poſſit, niſi jus determinandi media ad finem ſocialem obtinendum, adeſſe dicatur, nulla ratione adparet.

Schol. Nihil te moveat, ſi dicatur: ad jus determinandi pertinere *arbitrium*; quod eccleſiæ eſt ademptum, dum apoſtolis norma evangelii eſt præſcripta; nam jus determinandi, & inſitum huic juri *arbitrium* non in licentia a fine ſociali diſcedendi, ſed in ſeligendis mediis, quæ ad finem æque conferunt, conſiſtit: Eſt itaque norma evangelii in ſocietate eccleſiaſtica *lex fundamentalis*, quæ juri determinandi *pro arbitrio* tam parum obeſt, tam parum illi Imperantes eodem jure carere dici poſſunt, qui regna limitata, legibusque prædita fundamentalibus tenent.

§. 8. *Juri determinandi obligatio parendi correlata eſt.* Jus determinandi conſiſtit in determinationibus mediorum ad finem ſocialem aptorum. (§. 6.) Fac jam huic juri obligationem parendi non correſpondere, tunc eſſet ſimul tale, ut ponitur, & non eſſet, quoniam foret ratio ſufficiens, qua poſita nullum poneretur rationatum, id quod principio contradictionis repugnat. Et ſane determinationibus eccleſiæ obligationem parendi adnexam eſſe, ex poteſtate ligandi & ſolvendi in cœlis a Chriſto eccleſiæ data ſatis intelligitur, ſiquidem ſolvere & ligare in cœlis, eſt ſolvere & ligare coram Deo; qui poteſtatem habet ligandi, ſolvendique coram Deo, ligat in conſcientia, quæ obligationem parendi imponit.

§. 9. Ratio, ob quam jus determinandi ſocietatibus competit, eſt ut finis ſocialis obtineri queat. (§. 6.) Itaque ad omne & ſolum illud, quod ad ſocietatis finem promovendum pertinet, ſe jus determinandi exporrigit. Finis ſocietà

Digitized by Google

cietatis eccleſiaſticæ eſt determinatus Deum colendi modus, ſive conſenſus in religione. (§. 2. & 5.) Cultus Dei internus & externus. (§. 3.) Proin quidquid ad cultum Dei internum & externum promovendum facit, ad jus determinandi eccleſiaſticum pertinere, & quidquid nullum cum eo habet nexum, non pertinere intelligitur.

§. 10. Cultus Dei internus in actibus intellectus & voluntatis conſiſtit. Colimus Deum intellectu, ſi perfectiones illius cognoſcimus, & veritatibus ab illo revelatis aſſenſum præſtamus. Quod ſi ex perfectionibus cognitis motiva agendi deſumimus, & præcepta ejus cuſtodimus, tum per voluntatem eum colere dicimur. Fac jam exoriri dubium, quid credendum, aut agendum ſit, tum cultus internus erit indeterminatus, atque adeo tum eccleſiæ erit, illum ad normam revelationis determinare. (*§. 9.*)

Corol. Veritates revelatæ, quibus aſſenſum præſtamus, dogmata adpellantur, quare determinationes eccleſiæ circa illas factas recte *dogmaticas* dixeris.

§. 11. *Determinationes eccleſiæ dogmaticæ ſunt certæ & immutabiles.* Chriſtus eccleſiam ſuam eandem usque ad ſeculi conſummationem permanere voluit, (Matth. 28. C. verſ. ult.) ergo eadem dogmata, eademque præcepta divina conſtanter cuſtodienda ſunt, quoniam his mutatis eſſentia eccleſiæ mutaretur. (§. 2. corol.) Non autem eadem permaneret eccleſia, niſi illius determinationes dogmaticæ (§. 10. corol.) certæ eſſent & immutabiles, quare patet propoſitum.

§. 12. Inerrantia eccleſiæ eſt privilegium, vi cujus illa in decidendis fidei, morumque quæſtionibus fallere, & falli nequit, quoniam itaque illius determinationes dogmaticæ certæ ſunt & immutabiles, (§. 11.) eo minus ei infallibilitatis privilegium denegari poteſt, quo luculentiora ſunt verba, quibus Chriſtus eccleſiæ promiſit, quod portæ inferi adverſus illam prævalere nequeant; (Matth. 16. C. verſ. 18.) prævalerent vero, ſi determinationes eccleſiæ dogmaticæ fallibiles eſſent. Nam ponamus eccleſiam errare in fide & moribus ad ſalutem neceſſariis, tum (quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo) ſalus in illa obtineri non poſſet, quo poſito utique portæ inferi adverſus illam prævaluiſſent.

Schol. Plura ſunt ſcripturæ loca, quibus eccleſiæ infallibilitas commonſtrari poſſet, aſt videſis Theologiæ dogmaticæ ſcriptores.

§. 13. Infallibilitas eccleſiæ *paſſiva* eſt illa, juxta quam omnes omnino fideles ſimul errare non poſſunt, *activa* e contra in ſolis epiſcopis & paſtoribus conſiſtit.

§. 14. Ablata infallibilitate activa, aufertur hoc ipſo etiam paſſiva, Chriſtus dixit apoſtolis, ac proin etiam eorum ſucceſſoribus: *qui vos audit, me audit.* Jam ſi nulla adeſſet infallibilitas activa, errantibus epiſcopis & ceteri fideles, quia illos audire tenentur, errarent, ſeu quod idem eſt: ablata infallibilitate activa etiam aufertur paſſiva.

§. 15. *Eccleſia non tantum paſſiva, ſed etiam activa gaudet infallibilitate.* Eccleſia in determinationibus dogmaticis eſt infallibilis, (§. 11. & 12.) ſub vero infallibilitate non tantum paſſiva, ſed etiam activa continetur, quoniam ablata hac, etiam prima ceſſaret; (§. 14.) utraque igitur illi competit.

§. 16. Si omnes, aut ſaltem plurimi ex omnibus eccleſiæ partibus * in unum locum conveniunt epiſcopi, concilium generale celebrare dicuntur, in quo ſi determinationes edunt dogmaticas, fideles illos tanquam eccleſiæ paſto-

res

res audire tenentur, atque adeo concillum generale infallibilitate gaudet activa. (§. 14. & 15.)

* Non requiritur, ut ad concilium generale omnes totius orbis chriſtiani epiſcopi conveniant. Sufficit, ſi omnes vocentur, & maxima pars eorum præſens ſit, quoniam juxta regulam communem *vota abſentium accreſcunt præſentibus*.

Schol. Quæ contra eccleſiæ, conciliorumque infallibilitatem objici ſolent; Theologi diſcutiunt.

§. 17. *Cultus externus ſine ceremoniis, & ritibus ſubſiſtere nequit.* (S. Aug. L. 9. contra Fauſt.) Præterea pro varietate circumſtantiarum, perſonarum, locorum, & temporum varie itidem vires, voluntateſque ſociorum ad finem ſocialem ſunt uniendæ, quoniam unus idemque modus omnibus omni tempore non expedit. Inde vero ſequitur, ſub jure determinandi eccleſiæ comprehendi jus determinationes edendi *mutabiles*, quæ pro diverſitate circumſtantiarum variare poſſunt.

Corol. Determinationes mutabiles diſciplinam conſtituunt eccleſiaſticam, ideoque *diſciplinares* audiunt. Et hæ cum determinationibus immutabilibus, (§. 11.) ſeu dogmaticis (§. 10. corol.) totum ambitum juris determinandi comprehendunt.

CAPUT TERTIUM.

De Eccleſiæ Poteſtate legislativa & Judiciaria.

§. 18. Lex eſt propoſitio moraliter obligatoria.

Schol. Definitionem datam ex eo capite quidam rejiciunt, quia nulla in ea legislatoris fit mentio; at neque definitionem mundi notio Dei ingredi debet, etſi mundus ſine Deo exiſtere nequeat, quamvis itaque non poſſit dari obligatio, & conſequenter lex ſine legislatore *actu exiſtens*, poteſt tamen dari *lex poſſibilis*, ejuſque eſſentia.

§. 19. *Iis in ſocietatibus, in quibus Socii actiones ſuas voluntati Præcipientium adtemperare tenentur, leges, & poteſtas legislativa adſit oportet.* Nam voluntas præcipientis eſt judicium ſubditis manifeſtatum. Judicium aliis manifeſtatum eſt propoſitio, (per def. in Log.) Erit itaque judicium præcipientis ſubditis manifeſtatum propoſitio eos obligans. Propoſitio obligatoria eſt lex, (§. 18.) quare poteſtas legislativa toties adeſt, quoties voluntati præcipientis ſubditi actiones ſuas adtemperare tenentur.

§. 20. Eccleſia eſt ſocietas, (§. 2.) in qua datur jus determinandi. (§. 7.) Huic juri determinandi obligatio parendi eſt correlata. (§. 8.) In ſocietate, cujus membra actiones ſuas voluntati præcipientium adtemperare obligantur, adſunt leges, (§. 19.) gaudet itaque eccleſia poteſtate legislativa, quam & ipſi jam exercuere apoſtoli, ſiquidem Paulus Syriis & Ciliciis præcipit, ut *mandata* apoſtolorum & ſeniorum cuſtodiant, * Corinthiis vero ſe ſciendi cauſa, utrum in omnibus ſint *obedientes*, ſcripſiſſe ait. **

* Act. 15. verſ. 41. ** 2. ad Corinth. c. 2. verſ. 9.

§. 21. Qui habet poteſtatem legislativam, eidem competit jus actiones ſubditorum cum legibus comparandi, iisdemque adplicandi. Quando cauſæ controverſæ deciduntur, actiones & facta cum legibus comparantur, ubicunque itaque datur poteſtas legislativa, etiam datur jus cauſas controverſas terminandi, quod poteſtas judiciaria adpellatur. Eccleſia habet poteſtatem ferendi

leges,

leges, (§. 20.) ergo etiam poteſtas judicandi tanquam ejus conſectarium illi denegari nequit, quam ab ipſis jam apoſtolis fuiſſe exercitam, nos edocet Act. cap. 15., ubi exorta controverſia de obſervatione legalium illico deciderunt: *Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil ultra oneris imponere vobis, niſi ut abſtineatis &c.*

§. 22. Quoniam poteſtas legiſlativa rationem ſui habet in jure determinandi, (§. 20.) poteſtas vero judiciaria in legiſlativa, (§. 21.) utraque etiam eosdem cum jure determinandi limites habere debet, cum rationatum ratione ſua ſufficiente latius patere nequeat. (per princ. ontolog.) Jus determinandi determinationes dogmaticas & diſciplinares ſub ſe comprehendit, (§. 17. corol.) ultra hos itaque limites ſe eccleſiæ poteſtas legiſlativa & judiciaria non exporrigit.

Corol. Cauſæ, & controverſiæ civiles ſub jure determinandi eccleſiaſtico haud comprehenduntur, (§. 9.) atque ideo extra ſphæram jurisdictionis eccleſiaſticæ ſunt.

CAPUT QUARTUM.

De jure cogendi, & puniendi in Eccleſia.

§. 23. Voluntas noſtra ſine motivis nunquam agit. (per princ. pſychol.) Itaque legiſlator, qui vult efficere, ut ſocii actiones fini ſociali repugnantes omittant, ejusmodi motiva ſubditis proponere debet, quæ ſunt ſufficientia voluntatem eorum ad omiſſionem actionis injuſtæ inclinandam. Cum homines in præſenti naturæ lapſæ ſtatu proni ſint ad lædenda officia tam imperfecta, quam perfecta, (per exper.) ſola repugnantia actionis injuſtæ cum lege apud pauciſſimos motivum erit ſufficiens ab ea abſtinendi, quapropter legiſlator cum qualibet actione fini ſociali repugnante malum quoddam connectit, quod voluntatem ſubditorum ad actionem injuſtam omittendam potius, quam ponendam inclinat.

§. 24. Malum, quod cum actione injuſta tanquam motivum ab illa abſtinendi copulatur, *pœna* dicitur.

Schol. Dictam definitionem ſoli convenire definito, ex eo patet, quod malum nulla poſita actione injuſta illatum non ſit pœna, ſed caſus, aut infortunium, ut dum quis a latrone exſpoliatur, aut in incendio caſu exorto perit, non utique pœnam, ſed infortunium ſuſtinet. Minus recta etiam eſt pœnæ definitio, quam quondam plerique jurisconſultorum dabant, dicendo: eam eſſe *malum paſſionis ob malum actionis*: non enim actualis mali inflictio finis eſt pœnæ, ſed ut illo cum actione injuſta connexo ſubditi motivum habeant a transgreſſione legis abſtinendi.

§. 25. Malum eſt id, quod nos reddit imperfectiores. Ablatio boni, quod aut actu poſſidemus, aut precendi jus competit, nos reddit imperfectiores, eſt itaque ablatio boni malum.

§. 26. Qui alium ad agendum, omittendumve metu mali movet, eum *cogere* dicitur. Quicunque malum cum actione injuſta tamquam motivum ab ea abſtinendi copulat, ſeu qui pœnam ſtatuit, (§. 24.) metu hujus mali alium ad agendum omittendumve movet, jus itaque cogendi cum jure puniendi indiviſibiliter cohæret.

Schol. Coactionem metu mali factam non eſſe phyſicam, ſed moralem, quæ libertatem non tollit, per ſe patet.

§. 27.

§. 27. Dantur in eccleſia bona ſpiritualia omnibus membris ſocietatis eccleſiaſticæ communia, uti ſunt ſacramenta, preces, ſacrificia, & hujuſmodi. (Lemma ex theol. dogmat.)

§. 28. *Eccleſiæ jus competit inobedientes & contumaces bonis ſpiritualibus privandi*. Si frater tuus peccaverit in te, (ait Chriſtus apud Matth. c. 18.) corripe illum intra te & illum ſolum — — ſi te non audierit, adhibe teſtes — — ſi nec hos audierit, dic eccleſiæ, ſi vero eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Competit proin eccleſiæ poteſtas contumaces declarandi ſicut ethnicos & publicanos. Declarare quempiam ſicut ethnicum, eſt eum declarare ſicut non-membrum eccleſiæ. Qui ſe habet ſicut non-membrum eccleſiæ, nil de bonis ejus communibus participat, * eccleſia ergo jus habet contumaces bonis privandi ſpiritualibus.

* Quemadmodum enim manus abciſſa nihil amplius de alimentis participat, quia membrum corporis eſſe deſiit; ita etiam illi, qui tanquam non-membra eccleſiæ habentur, nihil de bonis ejus communibus participant.

§. 29. Eccleſiæ jus competit contumaces bonis communibus, quæ habet, (§. 27.) privandi, (§. 28.) ſeu connectendi cum actione injuſta ablationem boni. Ablatio boni eſt malum, (§. 25.) malum vero cum actione injuſta connexum eſt pœna, (§. 24.) competit itaque eccleſiæ jus puniendi.

Corol. Cum jure puniendi jus cogendi eſt connexum, (§ 26.) intelligis ergo, etiam jus cogendi in eccleſia adeſſe.

§. 30. Pœna, qua eccleſia fideles bonis privat ſpiritualibus, *excommunicatio* audit. Quoniam vero malum cum actione injuſta tanquam motivum ab ea abſtinendi connectitur, (§. 24.) in ratione directa ſtare debent, ita, ut quo magis actio eſt injuſta, ſeu quo magis eſt delictum, eo majus malum cum illo copuletur, ſiquidem tali modo creſcente malitia actionis motivum ab ea abſtinendi creſcit. Juxta hanc itaque proportionem fideles mox omnibus, mox aliquibus tantum privantur bonis ſpiritualibus. Privatio omnium bonorum ſpiritualium *excommunicatio major*, & aliquorum tantum *excommunicatio minor* appellatur.

§. 31. *Excommunicatio major eſt maxima inter pœnas eccleſiaſticas*. Pœna eſt malum cum actione injuſta connexum, (§. 24.) malum vero eſt ablatio boni. (25.) Quo majus itaque irrogatur malum, ſeu quo plura & majora auferuntur bona, eo major eſt pœna, ac proin illa maxima erit, qua ſocii omnibus ſocietati communibus privantur bonis. Id ipſum autem fit in excommunicatione majori, (§. 30.) maxima ergo inter pœnas eccleſiaſticas eſt excommunicatio major.

Corol. Majus itaque motivum ab actione injuſta absterrendi excommunicatione majori eccleſia non habet. Quia vero motivum a delicto abſtinendi in ratione directa gravitatis delicti eſſe debet, (§. 30.) patet, excommunicationem majorem niſi ob crimina gravia infligendam non eſſe.

Schol. 1. Recte Trid. Seſſ. 25. cap. 3. de reform. *Quamvis excommunicationis gladius nervus ſit eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris, ſobrie tamen, magnaque circumſpectione exercendus eſt, cum experientia doceat, ſi temere & levibus ex rebus incutiatur, magis contemni; quam formidari, & perniciem potius parere, quam ſalutem.*

Schol. 2. Quas ob cauſas, & quo modo ferenda ſit excommunicatio, in jure privato dicetur, dum de pœnis eccleſiaſticis in ſpecie ſermo erit.

§. 32. *Excommunicatio in ſola privatione ſacrorum conſiſtit, atque adeo ex eſ-*

ſentia

ſentia ſua nullos effectus civiles poſt ſe trahit. Ex ſententia Chriſti excommunicatus eſt habendus ſicut ethnicus. (§. 28.) Ethnico vero, etiamſi is tanquam non-membrum eccleſiæ nihil de bonis ejus participat, officia jure naturali, gentium, & civili debita, denegari non poſſunt, neque ſtatu libertatis, civitatis & familiæ caret; idem ergo etiam de excommunicatis dicendum.

Schol. 1. Certe nemo adhuc exiſtimabat, ab eccleſia ethnicos aliter fuiſſe ſeparatos, niſi quoad ea, quæ fidelibus ut membris eccleſiæ ſunt propria, id eſt, quoad communionem ſacrorum, & quomodo eccleſia aliis bonis, quam ſpiritualibus, præter quæ a Chriſto nulla acceperat, fideles privare poſſet? Poteſt quidem ſocietas aliquem ex ſuo, at non ex alieno pellere conventu, adeoque nec eccleſia aliquem juribus, quibus ipſa natura homines inſtruxit, aut quæ per civitatem adquiſita ſunt, ſpoliare.

Schol. 2. Afferto, quod excommunicatio de ſe nullos poſt ſe trahat effectus civiles, opponi ſolet epiſt. Joannis 2da, ubi dicitur: Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec *Ave* ei dixeritis, quod tantundem eſſe videtur, ac ſi apoſtolus commercium civile cum excommunicatis interdixiſſet. At cum ex Chriſti ſententia intelligatur, excommunicatum habendum eſſe ſicut ethnicum, (§. 28.) ethnico vero illicitum eſſe *Ave* dicere nuſpiam legatur, infertur apoſtolum loco citato non tam modo *præceptivo* quam *ſuaſivo* a fidelibus exegiſſe, ut ad evitandum periculum perverſionis familiaritatem cum excommunicatis non habeant. Quod ſi quis tamen contenderet, apoſtolum dixiſſe modo præceptivo, quia ſubjungit: *Qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis*, dari id poterit, dummodo in eo accipiatur ſenſu, ne ſine neceſſitate cum eis communicent, & ſpecialiſſima benevolentiæ ſigna exhibeant.

§. 33. Etſi vero excommunicatio nullos effectus civiles poſt ſe trahat, (§. 32.) tamen Principes, qua eccleſiæ, fideique defenſores, pœnis eccleſiaſticis pœnas etiam addidere civiles, ut fideles magis a delictis abſtineant, quia ſunt nonnulli, quos amiſſio bonorum & jurium temporalium magis, quam ſpiritualium terret.

Schol. Quia is, qui pœnam cum delicto copulat, jus adgratiandi habet, nihil impedit, quo minus Princeps in caſu particulari, aut ob reipublicæ utilitatem, aut ob ſingularia cujusdam in eam merita gratiam delicti facere, & ab excommunicatione effectus civiles ſeparare queat. Et ſi ipſum Principem excommunicari contingeret, unicus effectus foret, ut tanquam non-membrum eccleſiæ ſe haberet, quod ſummæ ejus majeſtati detrahere nihil poteſt. Ceterum vix, aut ne vix quidem (ait Paul. Joſ. a Riegger in Inſt. Jurisp. eccleſ. part. 4. pag. 425. edit. nov.) in majeſtatem fulmina projicere licebit ſine magno ſchiſmatis periculo, pacis publicæ perturbatione, eccleſiæ vexatione, & ceteris calamitatibus, quas inde ſequi *hiſtoria*, optima in hujusmodi rebus *magiſtra*, docuit. Vidit id Ivo Carnotenſis, qui in epiſtola 117. ſcribere non dubitavit: *Diſpenſationes rerum temporalium Regibus attributæ ſunt, & baſilei, id eſt fundamentum populi & caput exiſtunt. Et ſi aliquando poteſtate ſibi conceſſa abutuntur, non ſunt a nobis graviter exaſperandi, ſed ubi ſacerdotum admonitionibus non adquieverint, divino judicio ſunt reſervandi, ubi tanto diſtrictius ſunt puniendi, quanto minus fuerint divinis admonitionibus obnoxii.*

CAPUT QUINTUM.

De ſacro Eccleſiæ Imperio.

§. 34. Eſſentia imperii in poteſtate legiſlativa, judiciaria, & jure cogendi conſiſtit. In eccleſia datur poteſtas ferendi leges, (§. 20.) & judicandi, (§. 21.) cum jure cogendi, (29.) proin & imperium.

§. 35. *Natura cujuſvis poteſtatis a fine ejus deſumitur, eosdemque cum eo limites habet.* Finis poteſtatis cujuslibet eſt ratio ſufficiens, cur illa potius exiſtat, quam non exiſtat. Fac autem poteſtatem aliquam ſeſe ultra ejus finem expor-

exporrigere, tum rationatum latius ratione ſua ſufficiente pateret, atque ita ſine ratione ſufficiente quid exiſteret.

§. *36.* In eccleſia exiſtit imperium. (§. 34.) Quodlibet imperium eosdem cum ejus fine limites habet; (§. *35.*) ergo etiam imperium eccleſiaſticum ultra ejus finem ſe haud extendit.

Corol. Totum a ſuis partibus ſimul ſumptis haud diſtinguitur. Cum itaque partes imperii ſi it poteſtas legislativa, judiciaria, & jus cogendi, (§. 34.) imperium eccleſiaſticum eosdem habet limites cum poteſtate eccleſiæ legislativa, judiciaria, & cum jure cogendi.

§. *37.* Felicitas eſt ſtatus voluptatis durabilis, ortum ducens ex perfectionibus. Perfectiones ſunt aut internæ, aut externæ, prout ad ſtatum hominis aut internum, aut externum pertinent. Quare etiam felicitas, quæ oritur ex perfectionibus internis, *interna*, & quæ oritur ex perfectionibus externis, *externa* erit.

§. 38. Finis ſocietatis eccleſiaſticæ eſt determinatus Deum colendi modus. (§. 1. & 2.) Colimus Deum, dum veritatibus revelatis aſſenſum præſtamus, & mandata ejus cuſtodimus. (§. *10.*) Aſſenſus dogmatibus præſtitus eſt actus intellectus, & cuſtodia mandatorum actus voluntatis, quorum quilibet nos interne perfectos reddit. Finis itaque imperii eccleſiaſtici eſt felicitas interna. (§. *37.*)

§. *39. Civitas* eſt ſocietas hominum ſui juris ſecuritatis cauſa admiſſo communi imperio inita. (per def. jur. pub. univ.) Tum vero ſecuritas interna & externa habetur, quando nec civitas a civibus, nec hi ab Imperante, nec uterque ab extraneis quid timendum habent. In hoc ſtatu cives perfectiones adquirunt externas, ac proin finis imperii civilis eſt felicitas externa. (§. 37.)

§. 40. *Felicitas interna cum externa, & viciſſim externa cum interna non eſt connexa.* Illa tantum ſunt connexa, quorum unum continet determinationem ſine altero non poſſibilem, ſeu quorum unum ſine altero eſſe nequit. (per def. in Ontolog.) At felicitas externa ſine interna, & viciſſim interna ſine externa obtineri poteſt, reveraque unam ſine altera ſtetiſſe hiſtoria docet *, non itaque neceſſarius inter felicitatem internam & externam datur nexus.

* Roma orbis domina fuerat, Athenienſium ſimiliter reſpublica floreotiſſima erat, utraque tamen denſiſſimis idololatriæ tenebris circumvoluta extitit. E contra primis quatuor ſeculis graſſantibus perſecutionibus, nil niſi carceres, cruciatus, & ultima ſupplicia imminebant, ſtatusque fidelium externus peſſimus erat, & nihilominus tot ferme ſancti, quot fideles numerabantur.

§. 41. Imperium ejusdem eſt naturæ cum fine, ob quem eſt inſtitutum, eosdemque cum eo limites habet. (§. 30.) Finis imperii eccleſiaſtici eſt felicitas interna, (§. *38.*) & civilis externa. (§. *39.*) Horum finium quilibet ſine altero obtineri poteſt, (§. 40.) ergo & imperia ipſa ſunt inter ſe diſparata. Quoniam vero diſparatorum unum ab altero haud dependet, infertur neque imperium ſacrum a civili, nec hoc ab illo dependere.

Schol. Separando imperium eccleſiaſticum a civili non poni ſtatum in ſtatu, & rempublicam in republica, exemplo eſt respublica Hebræorum, in qua jus ſacrorum penes Pontificem maximum, & poteſtas politica penes Reges fuerat, id quod ipſemet agnovit celeb. Wolfius in Jur. Nat. Tom. 8. §. 64. *Sunt equidem, qui abſurdum dicunt duplex ſummum imperium in eadem civitate, ſed cur abſurdum ſit nulla ratione ſolida evincunt, ſane abſurdum minime reputant, ut populus quædam jura ad imperium ſpectantia ſibi retineat, in quibus dependere non vult a Rectoris voluntate. Nonne vero perinde eſt, ſive jus ſibi reſervatum exerceat, prout ſibi videtur, per ſe, ſive idem transferat in alium, ut idem exerceat? Ex eo, quod corpus humanum ſit monſtroſum, ſi duo*

ha-

habeat capita, minime ſequitur, rempublicam fore monſtroſam, in qua duo exiſtunt imperii ſumma. Abſurditas demum probata intelligitur, ſi demonſtratum fuerit, imperio ſummo diviſo finem civitatis obtineri minime poſſe, ſed ex hac diviſione ſequi, quæ eidem e diametro repugnant. Hoc enim in præſenti materia pro moraliter impoſſibili, conſequenter pro abſurdo habendum, ſi velimus uti mediis, quæ finem civitatis evertunt, aut ſaltem ab eodem abducunt.

§. 42. Hanc mutuam utriusque imperii independentiam (§. 41.) Chriſtus in ſcripturis ſæpius docet, ubi proteſtatur, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, inſuper jubens reddendum eſſe Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ Dei, Deo. Quod ſi vero Chriſtus ipſe fatetur, ſe qua hominem nullam habuiſſe poteſtatem civilem, quomodo eccleſia illa inſtructa eſſe poterit?

Schol. Poteſtatem civilem eccleſiæ denegantibus opponi ſolet locus apud Lucam 22. cap. ubi Chriſtus dicentibus apoſtolis: *Ecce duo gladii hic*, non dixit *nimis*, ſed *ſatis eſt*, quorum gladiorum unum materialem, ſpiritualem alterum eſſe ajunt, & utrumque eccleſiæ fuiſſe datum, autoritate S. Bernardi confirmare conantur, qui ad Eugenium Pontificem de gladio materiali ita ſcribit. *Qui tuum*, (nimirum gladium materialem) *negat, non ſatis mihi videtur adtendere verbum Domini dicentis ſic: Converte gladium tuum in vaginam, tuus ergo & ipſe tuo forſitan nutu, etſi non tua manu evaginandus, alioquin ſi nullo modo ad te pertineret, iis dicentibus apoſtolis: ecce duo gladii, non reſpondiſſet Dominus: Satis eſt, ſed nimis eſt.* Verum adnotarunt ſcripturarum interpretes, nullam in relato ex Luca textu fieri mentionem de gladio materiali, & ſpirituali, ſed ſolum Chriſtus diſcipulos admonuit, illos tempore paſſionis ſuæ in iisdem futuros anguſtiis, in quibus eſſe ſolent, qui tunicam vendunt, ut gladium emant. Quod autem Chriſtus dixerit: *Satis eſt*, putant aliqui, eum dixiſſe ironice, ac ſi duobus gladiis turba omnis illum comprehenſura depelli poſſet, vel ad indicandum apoſtolis, eum de hac re loqui amplius non velle. Ex quo ſatis adparet, quantum alluſio Bernardi ad citatum Lucæ textum ponderis habeat, qui nil aliud evincere contendit, quam ut ſpiritualis gladius ab eccleſia, temporalis a Principibus pro defendenda eccleſia exerceatur, ſimul ut Pontifex eos de talis defenſionis neceſſitate certiores redderit, id quod comprobant ſubjuncta verba: *Uterque ergo eccleſiæ & ſpiritualis gladius & materialis, ſed is quidem pro eccleſia, ille vero ab eccleſia exercendus. Ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſane ad nutum ſacerdotis, & juſſum Imperatoris.*

§. 43. Satis itaque adparet imperium civile ab eccleſiaſtico *directe* haud dependere. (§. 41. & 42.) Qui ſaltem *indirectam* eccleſiæ poteſtatem in temporalia admittunt, caſum dependentiæ indirectæ tum adeſſe ajunt, quando imperium civile fini eccleſiæ impedimento eſſet. His enim in circumſtantiis exiſtimant jus habere eccleſiam ſubditos a vinculo juramenti & fidelitatis abſolvendi, ac per conſequens Imperantes regno ſpoliandi.

§. 44. *Poteſtas indirecta eccleſiæ aut Pontificis in Principum temporalia ex natura ſocietatis eccleſiaſticæ deduci nequit.* Poteſtas eccleſiæ ſe ultra ejus finem non exporrigit. (§. 36.) Finis ſocietatis eccleſiaſticæ eſt felicitas interna, (§. 38.) proin mediis ad hunc finem obtinendum non neceſſariis inſtructa non eſt. Porro medium ad felicitatem internam conſequendam neceſſarium poteſtas indirecta in temporalia Principum non eſt, quoniam quomodocunque Principes aut imperium civile eccleſiæ impedimento eſſe conentur, religionem internam, quæ in animo reſidet, ſubditis eripere haud poſſunt, ad externam vero, quæ in actibus externis conſiſtit, quique ſine *occaſione* poni nequeunt, non obligantur ex defectu occaſionis, ſi Imperantes eos impediant, atque adeo indoles ſocietatis eccleſiaſticæ reparationem læſionis ab imperio civili illatæ per exercitium poteſtatis indirectæ in temporalia haud exigit. Unicum remedium, quod eccleſiæ in talibus circumſtantiis ſupereſt, eſt rogare, docere, increpare, æternas

Digitized by Google

pœnas & præmia tanquam motivum proponere, & ſi hæc non ſufficiant, tandem pœnis uti ſpiritualibus, & iſtud etiam maxima cum cautela, quoniam vix, aut ne vix quidem in Majeſtatem fulmina projicere licet. (§. 33. Schol.)

Corol. Falſa itaque eſt argumentatio Bellarmini, quam in Lib. 5. de Rom. Pont. c. 7. §. 8. ſequentibus proponit verbis: *Reſpublica eccleſiaſtica debet eſſe perfecta, & ſibi ſufficiens in ordine ad ſuum finem— —ergo debet habere omnem poteſtatem ad ſuum finem conſequendum, ſed neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem poteſtas utendi ac diſponendi de temporalibus rebus, quia alioquin mali Principes poſſent impune favere hæreticis, & evertere religionem.*

Schol. 1. Ceteræ Bellarmini argumentationes ex ratione deductæ pleræque in eo peccant, quod fiat tranſitus a *perſona* poteſtate civili inſtructa, quæ per accidens ſimul eſt membrum eccleſiæ, ad ipſam poteſtatem civilem, quas, cum paſſim notæ ſint, non adſcribo.

Schol. 2. Neque etiam ſequens paritas quempiam movere debet: etſi gens una ab altera non dependet, (per demonſt. in jur. gent.) tamen gens læſa lædentem ſuæ ſubjicere poteſt poteſtati, ergo pariter etſi imperium civile ab eccleſia haud dependeat, tamen, dum illa ab Imperante læditur, jus in temporalia ejus ad læſionem reparandam adquirit; lata enim inter utrumque caſum eſt diſparitas, ſiquidem gens læſa (ſi læſio aliter eſt indeclinabilis) jus belli in lædentem adquirit, & perfectiones *externas*, quas lædens abripuit itidem ex perfectionibus ejusdem *externis*, atque adeo mediis ex natura dominii competentibus repetit. Econtra Imperans nobis religionem, atque adeo perfectiones internas eripere nequit. (§. 44.) neque etiam ſi eripere poſſet, medium eas repetendi proportionatum eſſet illas ex perfectionibus exterois repetere. Vide J. V. Eybel adumbr. jurispr. pag. 36. opuſc. 2.

§. 45. *Poteſtas indirecta in temporalia Principum nullum in ſcripturis habet fundamentum.* Ex ſcripturis patet, eccleſiæ præter poteſtatem clavium, & paſcendi datam fuiſſe nullam, at ſub hac poteſtas indirecta in temporalia Principum haud continetur. Nam tempore perſecutionum, quo caſus indirectæ dependentiæ adeſt, (§. 43.) Chriſtus non dixit apoſtolis: Abſolvite ſubditos a vinculo juramenti & fidelitatis, aut ſpoliate Reges throno, ſed illis commendat patientiam (Lucæ 21.) docens, non eſſe timendos illos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non poſſunt. (Matth. 10.) Ideo etiam Petrus in ſua Epiſt. cap. 2. ſubditos jubet obedire dominis non tantum probis, ſed etiam diſcolis, atque adeo obediendum erit Regi improbo manente vinculo juramenti & fidelitatis.

Corol. Falſa eſt itaque Bellarmini doctrina dicentis, ſub poteſtate paſcendi indirectam poteſtatem in temporalia comprehendi.

§. 46. *Eccleſiæ vires deponendi Imperantes malos & hæreticos nunquam defuere.* Docet id hiſtoria. Nam quantæ jam tempore Tertulliani chriſtianis fuerint vires, patet ex ejus Apolog. cap. 38., in qua nomine chriſtianorum ad imperii romani moderatores ita ſcribit: *Si enim & hoſtes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis armorum & copiarum? Plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantæcunque, unius tamen loci, & ſuorum finium gentes, quam totius orbis? Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum, ſola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus & inermes, nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes, ſolius divortii invidia adverſus vos dimicaſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum abrupiſſemus a vobis, ſuffodiſſet utique dominationem veſtram tot qualiumcunque civium amiſſio;*

immo

immo etiam & ipſa deſtitutione puniſſet. Procul dubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quemdam quaſi mortui orbis: quæſiſſetis, quibus imperaſſetis: plures hoſtes, quam cives vobis remanſiſſent, nunc enim pauciores hoſtes habetis præ multitudine chriſtianorum. Dein quam facile eccleſia Julianum apoſtatam regno privare potuiſſet, cum teſte Ruffino exercitus ejus pene totus e chriſtianis conſtabat? Sicut enim electio Imperatoris tum a militibus pendebat, ita etiam facile ab illis exautorari potuiſſet, ſi vel nutum epiſcopi illis dediſſent, quibus obediendi pronam habuerunt voluntatem. Eadem ratione eccleſia Valentem, & Valentinianum juniorem imperio mulctare potuiſſet, quorum prior præcipuos exercitus ſui duces habuit chriſtianos, ſcilicet Terentium, Trajanum, Arintheum, Victorem & alios, alter vero Valentinianus junior ad nutum ſolius Ambroſii a ſuis militibus deſeri & imperatoria dignitate exui potuiſſet, ut ipſe Ambroſius in Epiſt. ad ſororem Marcellinam ſcribit: *Nam cum Imperatorem comites obſecrarunt, uti prodiret ad eccleſiam, idque petitu militum facere ſe dicerent, reſpondit: Si vobis juſſerit Ambroſius, vinctum me tradetis*, Vide reverendiſſ. Abbat. Rautenſtrauch Inſt. Jur. eccleſ. §. 219. & ſequ.

§. 47. *Eccleſia nunquam putabat, ſibi competere poteſtatem indirectam in temporalia Principum.* Eccleſia toleravit Neronem, Diocletianum, Julianum apoſtatam, Valentem, Adrianum & ſimiles, etſi vires ei non defuerint illos deponendi, (§. 46.) ergo vel dicendum, quod putaverit, ſibi jus hoc faciendi haud competere, vel quod eccleſia & Pontifices ante Gregorium VII. (qui primus poteſtatem indirectam exercuit) aut officio ſuo defuerint, aut Gregorius ejusque ſucceſſores majorem prioribus Pontificibus habuerint poteſtatem. At nec Pontifices ante Gregorium officio ſuo defuiſſe, nec Gregorium ejusque ſucceſſores prioribus majorem habuiſſe poteſtatem admitti poteſt; nihil itaque relinquitur, niſi ut dicatur: Eccleſiam nunquam putaſſe, ſibi poteſtatem indirectam in temporalia Principum competere.

Schol. 1. Geſta Gregorii Henricum IV. exautorizantis eccleſiam non probaſſe, ipſe fatetur in epiſt. 7. ad Germanos ſcribens: *Quotquot Latini ſunt, omnes cauſam Henrici præter admodum paucos laudant, ac defendunt, & pernimiæ duritiæ & impietatis circa eum me redarguunt.* Ajunt quidem, jam ante Gregorium VII. aliquos Pontifices poteſtatem indirectam exercuiſſe, inter quos imprimis ponunt Gregorium M., qui privilegio, quod conceſſit monaſterio S Medardi Sueſſionenſis hanc addidit clauſulam: *Si quis Regum, Antiſtitum, Judicum, vel qualiumcunque ſecularium perſonarum hujus apoſtolicæ autoritatis, & noſtræ præceptionis decreta violaverit, — — cujuscunque dignitatis, vel ſublimitatis, honore ſuo privetur.* Simili modo, ajunt, teſtatur Theophanes ad annum Leonis 13., Gregorium II. Leoni Imperatori Iconomacho excommunicato prohibuiſſe vectigalia ſolvi ab Italis, ac proin eum imperii parte mulctaſſe. Etiam obmovent factum Leonis III, qui imperium tranſtulit a Græcis ad Germanos propterea, quod Græci nullum auxilium laboranti eccleſiæ occidentali adtulerant. Pacta autem hæc eſt translatio, cum Carolum M. Romæ degentem Imperatorem renunciavit, ac impoſita capiti ejus corona eum inunxit. Verum quod adtinet Gregorium M., ſatis demonſtrarunt docti, privilegium adductum eſſe ſuppoſititium. Dato dein id revera exiſtere, verba dictæ clauſulæ ſolummodo ſunt *imprecantis*, non *imperantis*, aut judicantis. Solennes fuiſſe hujusmodi imprecationes in omnibus fere fundationibus, & donationibus oſtendunt Marculfi formulæ. Legimus etiam in diplomatibus undecimi & duodecimi ſeculi uſurpari ſolitas fuiſſe ejusmodi execrationum formulas, ut obſervat doctiſſimus Mabillonius libr. 2. de re diplomat. Pari ratione hiſtoriam Gregorii II., qui Leoni imperatori vectigalia ſolvi prohibuiſſe dicitur, confictam eſſe, duæ ejus conficiunt epiſtolæ ad Imperatorem datæ, in quarum prima dicit. *Imperatoris non eſſe de eccleſiæ dignitatibus ferre judicium, ſicut nec Pontificis de reipublicæ negotiis ſatagere.* In altera vero ad eundem Imperatorem epiſtola fatetur: Pontificem introſpiciendi palatia poteſtatem non habere, aut dignitates regias cuiquam deferendi. Deinde

de

de aſſerit, ſe inermem ac nudum eſſe, ſe invocare Deum, ut quod Paulus inceſtuoſo Corinthio contingere voluit, & Imperatori contingat. Qui ſic loquitur, poteſtne cogitare de prohibenda tributorum penſione? Adde tres alios hiſtoricos Paulum diaconum, Anaſtaſium bibliothecarium, & Platinam, qui facto Gregorii adducto plane adverſantur. Tandem Carolus Magnus armis occupato Longobardorum regno ac Italia ditioni ſuæ ſubjecta reipſa fuit Imperator annis 25 antequam nomen Imperatoris, quod non ambierat, ei Pontifex & populus romanus detuliſſet. Quum itaque Leo Pontifex nullam novam ditionem & jurisdictionem Carolo M. conceſſit, nihilque ex imperio græco detraxit, illum vere ac proprie Imperatorem non creavit.

Schol. 2. Etiam concilia quædam, quæ poteſtatem temporalem exercuiſſe videntur, produci ſolent. Nam can. 3. Conc. Lateranenſis IV. ſic ſonat. *Si dominus temporalis requiſitus & monitus ab eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hac hæretica pravitate, per Metropolitanum & ceteros comprovinciales epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere contempſerit, intra annum ſignificetur hoc ſummo Pontifici, ut ex tunc ipſe vaſallos ab ejus fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat catholicis occupandam &c.* Ex concilio dein Conſtantienſi obmoventur plura, & imprimis decretum Seſſionis 14., in quo omnem recedentem a concilio, vel ſtatuta ejus impedientem omni dignitate etiam imperiali, aut regia ipſo jure privatum eſſe ſtatuitur. 2) Seſſ. 15. ſub pœna incarcerationis ſilentium ſervare jubet ſynodus ab omnibus etiam imperialis aut regalis conditionis. 3) Seſſ. 17. ſtatuitur omni honore privandos eſſe illos, qui Sigismundo Imperatori in Aragoniam proficiſcenti pro pace eccleſiæ procurandæ adverſantur, etiamſi regalis exiſtant dignitatis. 4) In monitorio contra Fridericum, Ducem Auſtriæ pœna privationis bonorum decernitur, quod bona eccleſiæ Tridentinæ occupaſſet. 5) Seſſ. 39. adverſus omnes etiam imperiali dignitate fulgentes, ſi electoribus Papæ vim intulerint, pœna in conſtitutione Bonifacii VIII., quæ incipit: *Felicis*, contenta decernitur at pœna temporalis in dicta bulla continetur. Tandem ajunt, Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. Principes jurisdictione & dominio civitatis, aut loci, in quo duellum fieri permittunt, privat. Diſcutiamus jam ſingula. Quod canonem concilii Lateranenſis adtinet, eum plurimi non genuinum eſſe autumant propterea, quod canonum hujus concilii mentionem non faciant ſequentia concilia, quamquam agant de puniendis hæreticis. Et ſane, ſi eſſent genuini quomodo tamdiu latuiſſent ignoti? ſiquidem neque Metropolitani illorum canonum exemplaria ad ſuas eccleſias detulerunt: neque Pontifex aliquod exemplar ſervavit, donec anno 1537. Joannes Cochlæus eos orbi patefecit, unde latuerant per annos 300. Sed dato etiam canonem objectum eſſe concilii, is tamen non conſtringit Reges & ſupremos Principes: quia decretum illud vel ſpectat dominos temporales eccleſiæ feudatarios, vel non. Si primum, poteſt eccleſia ſpoliare feudis ſuos vaſallos, ſi fidei conſervandæ adverſantur, quia illis ſub hac conditione feuda concedit, quam ſi non implent, feloniam committunt. Si alterum, canon objectus non inſtar legis, ſed potius inſtar voti eſt conſiderandus, numerandusque inter eas leges, quas Principibus proponit eccleſia, ut eas ſua autoritate confirment, ſi confirmandas judicaverint: At decreta dein Concilii conſtantienſis in genere dici poteſt, quod diviſim intelligenda ſint, & in ſenſu, ut loquuntur ſcholæ, accommodato, ita ut cenſuræ quidem eccleſiaſticæ ad ipſos Reges pertineant, ſi concilii decretis non paruerint, privationes vero dignitatum ac bonorum temporalium Imperatore ac Regibus per oratores ſuos conſentientibus Principes feudatarios, & quoscunque dominos ſubalternos imperii ſpectent, non autem ipſos Reges, niſi jure feudi eccleſiæ obnoxii ſint. Atque ita ſe rem habere, hancque concilii fuiſſe mentem, ex eo ſatis intelligitur, quod Patres fateantur in Seſſ. 15., illos nullam habere poteſtatem infligendi pœnas civiles. Cum enim Jo: Huſs ſacerdotali dignitate privaſſent, ſubjungunt: *Hæc S. ſynodus Conſtantienſis Joannem Huſs, attento, quod eccleſia Dei non habeat ultra, quid agere valeat, judicio ſeculari relinquere, & ipſum curiæ ſeculari relinquendum fore decernit.* Deinde doctiſſimi theologi, qui in concilio intererant, & decretis condendis operam dabant, a ſententia poteſtatem indirectam adſerentium maxime alieni fuerant, qui tamen tradita a concilio dogmata mordicus tenuerunt. Ita mentem ſuam aperiunt Petrus de Aliaco, & Gerſonius, qui concilio intererant, & quorum ultimus ſententiam de poteſtate indirecta vocat ſubdolam adulationem: In ſpecie itaque verba decreti Seſſ. 14. ſunt verba comminatoria eum in finem ut omnia majori ordine peragantur, & quidem de conſenſu Imperatoris, qui tunc præſens aderat, & aliorum legatorum, adverſus quam clauſulam illi proculdubio reclamaſſent, ſi decretoriam & ſuæ autoritati contrariam exiſtimaſſent. In decreto ſilentii Seſſ. 15. pœnam incarcerationis ſummos Principes non ſpectare, ex eo patet, quod executioni mandari non potuiſſet. In Seſſ. 17. ſynodus tantum excommunica-

nicationis ſententiam pronunciat, additur vero per modum comminationis & imprecationis ſub finem. *Et ulterius omni honore, officio, beneficio eccleſiaſtico, vel ſeculari ſit ipſo facto privatus*. Neque loquitur de ſupremis Principibus, ſed de privatis quibusdam, & aliis Principibus, qui Sigismundi profectioni obſtarent, & qui eſſent eccleſiæ feudatarii, ut patet ex his verbis: *Beneficio eccleſiaſtico vel ſeculari*, quod aliud niſi feudale eccleſiæ eſſe nequit. Decretum Seſſ. 20. poteſtatis indirectæ ſententiæ potius contradicit, quam favet, quia Ducem Auſtriæ pœnas ſanctione Carolina contentas adverſus bonorum eccleſiaſticorum invaſores incurriſſe declarat, ſatis innuens: ſui non eſſe juris pœnas ſeculares infligere. Decreto Seſſ. 39. ſi voluiſſet ſynodus ſummos Principes complecti, laudaſſet potius conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit: *Unam ſanctam*, quam quæ incipit: *Felicis*, cum iſta tantum in dominos temporales eccleſiæ feudatarios, qui cardinales fuiſſent hoſtiliter inſecuti, pœnas temporales, adverſus alios autem Principes ab eccleſia ratione feudi non dependentes ſolum pœnas ſpirituales decernat. Tandem concilium Trid. tantum ea ſpectabat dominia, quæ ſunt eccleſiaſticæ ditionis, ut expreſſe legitur in ipſo decreto.

§. 48. *Bono Eccleſiæ magis expedit poteſtatem indirectam in temporalia Principum negare, quam adfirmare*. Perpetuum enim poteſtas indirecta inter Pontifices & Imperatores odium fovere eſt apta, qui ſibi timendum ſemper exiſtimarent ab ambitione vel odio alicujus Pontificis, cui forte non placerent. Dein pejor eſſet conditio Principis fidelis, quam ethnici, qui ſolum Deum ſuperiorem habet, quod ipſum revocat Principes infideles ab amplectenda fide. Tandem poteſtas indirecta anſam præbet Proteſtantibus principia religionis noſtræ ſugillandi, averſionemque illorum erga Sedem romanam augendi.

Schol. Mirandum quosdam adeo immoderato, & cum genuinis principiis adeo parum cohærente zelo abreptos fuiſſe, ut reipſa exiſtimaverint, ſe utilitati eccleſiæ conſulere, ſi poteſtatem indirectam omnibus viribus propugnent. In horum numero etiam P. Schmier Benedictinus monachus fuerat, qui in tom. I. jur. canon. univ. pag. 521. ita ſcribit. *Eadem prorſus ratione, qua S. Pontifici primum antea negata fuit juriſdictio directa, negandam eſſe juriſdictionem indirectam in cauſis temporalibus, amœna quidem dicendi ſuavitate, ſe* LICENTIOSA CALUMNIANDI CONSUETUDINE *annis abhinc centum & ſeptem probare conatus eſt Guilielmus Barclajus.* — — *Conſimili ſtylo pontificiam juriſdictionem laceſſivit Maymburgus, ſuamque in partem non paucos ex doctoribus & ſcriptoribus gallicis pertraxit, impenſius aulæ, quam eccleſiæ, prolixius Sequanæ, quam Tyberi faventes.* Mira differendi ratio! ac ſi favor, non argumentorum pondus rem tanti momenti dirimere deberet. Quid, quod poteſtatem indirectam negantes revera eccleſiæ faveant, quum id affirment, quod affirmare illi expedit. (§. 48.)

§. 49. *Nec Pontifici, nec toti Eccleſiæ poteſtas indirecta in Principum temporalia competit*. Poteſtas indirecta non tantum ex natura ſocietatis eccleſiaſticæ deduci nequit, (§. 44.) ſed etiam ſcripturis, (§. 45.) eccleſiæ praxi, (§. 47.) ejusque bono repugnat, (§. 48.) eſt itaque prorſus neganda.

CAPUT SEXTUM.

De forma imperii Eccleſiaſtici.

§. 50. Modus, quo in ſocietate imperio prædita media ad finem ſocialem obtinendum determinantur, forma imperii audit.

Schol. Publiciſtæ per formam imperii intelligunt determinationem illius ſubjecti, cui majeſtas inhæret, quoniam vero Imperantes eccleſiaſtici majeſtate carent, hæc definitio adplicari ad eccleſiam nequit.

§. 51. Jus determinandi media ad finem ſocialem obtinendum vel omnia ſocie-

ſocietatis membra habere poſſunt ita, ut pluralitas votorum decidat, vel tantum aliqui, iique nobiliores, vel unicus. Primo in caſu forma imperii erit *democratica*, in altero *ariſtocratica*, in tertio *monarchica*. Et hæ ſunt formæ imperii ſimplices. Quod ſi jam duæ, ſeu omnes dictarum formarum inter ſe commiſceantur, & componantur, orientur formæ imperii compoſitæ. Conjunge itaque monarchiam cum ariſtocratia ita, ut una per alteram quaſi limitetur, ac temperetur, & habebis formam imperii *monarchico-ariſtocraticam*.

§. 52. *Chriſtus jus determinandi media ad finem ſocialem non omnibus membris ſocietatis eccleſiaſticæ dedit.* Jus determinandi illis in eccleſia competit, quibus poteſtas clavium, & poteſtas ligandi, ſolvendique conceſſa eſt. (§. 8.) At poteſtatem clavium cum poteſtate ſolvendi & ligandi Chriſtus non omnibus, aut ſingulis fidelibus, ſed ſolum apoſtolis eorumque ſucceſſoribus dedit, * penes hos itaque ſolos jus determinandi reſidet, reliqui vero obedire tenentur.

* Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit regere eccleſiam Dei. Act. 20. cap. v. 28. Et cum dies factus eſſet, vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & apoſtolos nominavit. Luc. 6. c. v. 13. Et quosdam quidem poſuit Deus in eccleſia primum apoſtolos -- -- nunquid omnes apoſtoli?

§. 53. *Forma Imperii eccleſiaſtici non eſt democratica.* Forma imperii democratica in illa adeſt ſocietate, in qua omnia membra jus determinandi media ad finem ſocialem habent. (§. 51.) At hoc jus in ſocietate eccleſiaſtica ſolis apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus competit, (§. 52.) atque adeo ex inſtitutione Chriſti imperium eccleſiæ formam democraticam haud accepit.

§. 54. Etſi vero Chriſtus apoſtolis jus determinandi dederit, (§. 52.) tamen Petrum majori præ cæteris inſtruxit poteſtate; ſiquidem cum omnibus apoſtolis (& conſequenter etiam Petro) dixiſſet: Quæcunque ſolveritis, aut ligaveritis in terra, erit etiam ſolutum aut ligatum in cœlis; rurſus Petrum ſingillatim poſt trinam dilectionis confeſſionem paſcere agnos juſſit. (Joan. 21.) Fruſtra vero & ſupervacanee ad ſolum Petrum locutus fuiſſet, niſi illi majorem præ ceteris apoſtolis poteſtatem contuliſſet, quia æqualem cum illis alioquin jam habuerat. Atque inde eſt, quod Petrus ab evangeliſtis, cum apoſtolos numerant, non tantum primus ponatur, ſed etiam primus vocetur.

§. 55. Poteſtas major, quam Petrus præ ceteris apoſtolis accepit, (§. 54.) in alio conſiſtere non poteſt, quam in eo, quod jurisdictio ejus in ipſos ſe etiam extendat apoſtolos. Hæc Petri prærogativa in ſcholis *primatus* nomen accepit, quem illi tamen Chriſtus ita dedit, ut in tuto eſſet reliquorum apoſtolorum auctoritas, & eorum in regimine eccleſiaſtico poteſtati nihil adimeretur, ne ſecus dicere debeamus, Chriſtum per primatum, quod antea conceſſerat, iterum deſtruxiſſe, id, quod ſapientiæ ejus repugnat.

Schol. Ad ea, quæ contra primatum Petri opponi ſoleant, theologi reſpondent.

§. 56. *Forma imperii eccleſiaſtici eſt monarchico-ariſtocratica.* Si Petrus ſolus excluſis reliquis apoſtolis jus determinandi accepiſſet, forma imperii eſſet monarchica, (§. 51.) & ſi æqualem cum ceteris poteſtatem habuiſſet, foret ariſtocratica. (ibid.) Quoniam vero nec ſoli Petro excluſive ſacrum imperium eſt datum, (§. 52.) nec reliqui apoſtoli tantum gradum poteſtatis ſacræ acceperint, quantum Petrus, (§. 54.) relinquitur, regimen eccleſiaſticum nec eſſe pure monarchicum, nec pure ariſtocraticum, ſed ex utraque hac forma mixtum. Atque inde eſt, quod non ſolus Petrus, ſed omnes apoſtoli communi conſilio quæſtionem de legalium obſervantia tanquam judices deciderint.

Schol.

Schol. 1. Si quæris, utra ex duabus, ex quibus forma imperii ſacri componitur, formis prævaleat? reſpondet tibi Tournelius: *Eccleſiæ regimen plus monarchicum dici, ſi adtendatur ad communem, ordinarium, & conſuetum regendi morem: quia non ſemper ſunt coacta concilia, ſemper autem eſt ſummus Pontifex. Plus vero dici poteſt ariſtocraticum, ſi adtendatur ad ſupremam, primariam, & infallibilem regendi autoritatem, quia hæc in una eccleſia univerſali ſeu coacta, ſeu diſperſa reſidet.*

Schol. 2. Regimen eccleſiæ eſſe pure monarchicum, ea ex ratione Cardinalis Orſius oſtendere conabatur, quod regimen monarchicum ſit perfectiſſimum, atque adeo ſocietati ab ipſo Deo erectæ maxime conveniens. At eſto regimen pure monarchicum omnium præſtantiſſimum eſſe in civili ſocietate, non ita in eccleſiaſtica, neque etiam ex illa poteſt ad iſtam argumentum duci: nam eccleſia per orbem univerſum eſt diſperſa continens gentes natione, climate, moribus, & conſuetudinibus diverſiſſimas, quarum ſalutem non æque unus Monarcha promovere, ſicut per unius imperium civitas regi poteſt. Quid, quod non rationibus philoſophicis, ſed ex Chriſti voluntate forma imperii ſacri ſit determinanda? Voluntatem autem Chriſti ex ſcripturis intelligimus, quæ monarchiam puram excludunt, ut fuit demonſtratum.

Schol. 3. Videntes itaque monarchiæ puræ patroni in hac re unice ex ſcriptura voluntatem Chriſti nobis manifeſtante, decertandum eſſe, ad illa loca confugere, in quibus eccleſia comparatur domui, navi, & aciei bene ordinatæ, quas ſimilitudines ſatis, puram monarchiam comprobare putant eo, quod domus, navis, & exercitus unus ſit ſupremus rector; verum liceat mihi ad iſta cum reverendiſſimo Abbate Rautenſtrauch reſpondere, qui in Inſt. juris eccleſ. §. 84. ait: *Meminiſſe oportet, in id genus ſimilitudinibus aut parabolis ad ſcopum finemque, cujus gratia adſumuntur adtendi potiſſimum debere, non ad cetera earumdem adjuncta omnia, ex quibus perſæpe inferendum nobis eſſet, licere id, quod tamen illicitum certo novimus, ut vel ſola parabola villici in evangelio S. Lucæ 16. cap. v. 8. ſatis edocet. Comparatur omnino eccleſia navi, at eo conſilio, ut, quæ eſt SS. Patrum interpretatio, indicetur, non poſſe ſalutem a quoquam, qui extra eccleſiam ſit, conſequi, æque ac undis perire, neceſſe eſt eum, qui extra navim eſt. Similiter cum acies ordinata dicitur, innuitur nobis, quam terribilis ſit poteſtatibus tenebrarum, portisque inferi, quæ prævalere adverſus eam nunquam poterunt. Similitudo domus denique ſuaviorem illam œconomiam exprimit, quæ res in ea peraguntur, ſub auſpiciis nempe cœleſtis noſtri Patrisfamilias, qui nos omnes habitare facit in domo.*

Schol. 4. Illud hic pro coronide notaſſe lubet, monarchiæ puræ propugnatores mirum quantum religionem noſtram exoſam reddidiſſe, ac per id eccleſiæ nocuiſſe. Conſtat enim religionis noſtræ adverſarios nihil iniquius ferre, quam Pontificis poteſtatem, qui itaque opus eſt falſis adſertionibus, qualis eſt propugnatio puræ monarchiæ, ceteras chriſtianorum ſectas a reditu ad eccleſiam noſtram retrahere? Idem propugnatores poteſtatis indirectæ in temporalia feciſſe, ſuperius §. 48. adnotavi. Aliud foret, ſi regimen pure monarchicum, & poteſtas indirecta ſolidis oſtendi poſſet argumentis, tum enim juſtam haberemus cauſam.

CAPUT SEPTIMUM.

De hierarchia ſacra.

§. 57. Eccleſia non tantum eſt ſocietas inæqualis ordine parentium & præcipientium conſtans, ſed etiam ipſi Imperantes eccleſiaſtici partim ex Chriſti, partim ex eccleſiæ inſtitutione æquales haud ſunt, quoniam aliqui majorem, minorem alii portionem & gradum poteſtatis ſacræ habent. Ordo, ſeriesque variorum poteſtatis ſacræ graduum, id eſt, quod *hierarchiam ſacram* adpellamus.

§. 58. Præter poteſtatem legiſlativam, judiciariam, & jus cogendi (§. 34.) Imperantibus eccleſiaſticis competit poteſtas diſtribuendi bona illa, quæ Chriſtus ſocietati eccleſiaſticæ, ut in membra ſingula dimanent, (§. 27.) conceſſit, ſiquidem eos ut diſpenſatores myſteriorum Dei, id eſt, ſacramentorum elegit. (1. ad Corinth. 4. cap.) Poteſtas determinandi actiones, leges ferendi, judicandi & cogendi poteſtas *jurisdictionis*, & poteſtas diſtribuendi bona in eccleſia com-

Digitized by Google

communia, poteſtas *ordinis* adpellatur, quoniam prior in imperio, poſterior in miniſterio magis verſatur.

§. 59. Poteſtas tum ordinis, tum juriſdictionis (§. 58.) diverſos habet gradus. Diverſi poteſtatis ſacræ gradus hierarchiam conſtituunt, (§. 57.) datur itaque in eccleſia hierarchia tum *ordinis*, tum *juriſdictionis*.

§. 60. Maximam poteſtatis ſacræ portionem Petrus accepit, (§. 54.) proin primum in hierarchia ſacra locum primatus (§. 55.) occupat.

§. 61. Chriſtus eccleſiam ſuam quoad eſſentiam eandem, ſicut illam inſtituit, ad finem mundi usque duraturam voluit, (§. 11.) non autem permaneret eadem, niſi poteſtas apoſtolis data perpetua foret. Neceſſe itaque fuit, aut apoſtolos eſſe immortales, aut illorum poteſtatem mox in toto ſuo *ambitu*, mox *partem* illius in alios transfundi, quorum primum cum experientiæ repugnet, dicendum eſt alterum. Illi, qui apoſtolis in munere eorum ſuccedunt, & poteſtatem illorum in toto ambitu ſumptam accepere, *epiſcopi* adpellantur, atque adeo hi ſecundum in hierarchia eccleſiaſtica divinæ inſtitutionis occupant gradum.

§. 62. Chriſtus ipſe præter apoſtolos ſibi 72 elegit diſcipulos. (Luc. 10. cap. v. 1.) Hoc magiſtri ſui exemplum ſecuti apoſtoli quosdam aſſumpſerunt, quibus *partem* poteſtatis ſuæ conceſſerant, (Act. cap. 14. v. 22.) qui *presbyteri*, ſeu ſeniores adpellantur. Habere porro presbyteros partem tantum poteſtatis epiſcopalis, atque adeo in hierarchia ſacra poſt illos ſtare, ſatis docet Paulus inſtruens Timotheum, (1. cap. 5. v. 19.) adverſus presbyteros ne recipiat adcuſationem, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus, *quid autem adtinebat* (ait S. Epiph. hæreſ. 75.) epiſcopo vetare, *ut ne presbyterum objurgaret, ſi non majorem ipſo poteſtatem obtineret*? deinceps admonet: *Adverſus presbyterum cito adcuſationem ne admiſeris, niſi duobus, tribusve teſtibus. Non alicui ex presbyteris præcipit, ut adcuſationem contra epiſcopum non admitteret, aut epiſcopum non objurgaret.* Poteſtate dein ordinis epiſcopos etiam eſſe presbyteris ſuperiores conſtans ſemper fuit eccleſiæ traditio, & SS. Patrum ſententia, inter quos S. Hier. quamvis ubique presbyterorum poteſtatem ad confundendos diaconos, qui ſe illis æquare volebant, extollat, tamen epiſt. 85. ad Evagr. ſcribit: Quid facit *excepta ordinatione* epiſcopus, quod presbyter non faciat?

Schol. 1. Per integra tria ſecula nemo unquam dubitare auſus eſt, epiſcopos presbyteris eſſe ſuperiores. Primus fuit Aerius, qui ſeculo quarto ſpe epiſcopatus, quem ambierat, fruſtratus, presbyteros epiſcopis æquales eſſe aſſeruit, quem ſecutus eſt poſtea Wicleſus, Calvinus, Salmaſius, Blondellus, aliique. Fundant hi ſuum errorem imprimis in 20. cap. Act., ubi iidem mox epiſcopi, mox presbyteri nominantur. Addunt dein illa epiſtolarum Pauli loca, in quibus iidem mox epiſcopi, mox presbyteri dicuntur, & in quibus tantum epiſcopi cum diaconis, absque presbyterorum mentione commemorantur. Tandem ajunt: Eundem Paulum hierarchiam deſcribentem priore loco apoſtolos, tum prophetas, dein doctores commemorare, quo nomine epiſcopos complectitur; doctoris autem nullus eſt principatus, epiſcopi itaque a presbyteris non differunt. Ad hæc reſpondendum, recte a Paulo eosdem mox epiſcopos, mox presbyteros adpellari, quandoquidem negare non poſſumus, eum, qui epiſcopus eſt, ſimul eſſe presbyterum, inde autem nondum conſequitur, eum, qui presbyter eſt, ſimul eſſe epiſcopum. Quod Paulus ſæpius tantum epiſcoporum cum diaconis, omiſſis presbyteris faciat mentionem, primi eccleſiæ ſtatus obſervatio rationem ſuppeditat, quoniam poſſibile haud fuerat, ut exiguo tunc temporis ſacrorum operariorum numero in quavis eccleſia epiſcopus præter neceſſarios ſibi diaconos etiam presbyteros a latere haberet. Is ipſe exiguus numerus cauſa eſt, cur in quibusdam eccleſiis tantum epiſcopos cum diaconis, in quibusdam vero tantum presbyteros commemorare Paulus potuerit. Quod ultimum adtinet, non ibidem hierarchiam, ſed præcipua quædam dona, quæ Spiritus ſanctus, cui vult largitur, enumerat.

Schol. 2. Etiam in Patribus præſidium quærunt, inter quos præcipuum tenet locum S. Hier. in epiſt. ad Titum, ubi dicit: *Idem eſt ergo presbyter, qui epiſcopus — — ſicut ergo*

ge presbyteri ſciunt, ſe ex eccleſia conſuetudine, ei, qui ſibi præpoſitus eſt, eſſe ſubjectos, ita epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine, quem diſpoſitionis divinæ veritate presbyteris eſſe majores. Verum noo difficilis ad hunc Hier. locum est reſponſio, ſi adtendamus antiquo more a presbyterorum cætu unum, ad ſervandam inter illos arctiorem diſciplinam electum fuiſſe, qui ideo epiſcopus, aut ſuperintendens eſt adpellatus. De his ergo epiſcopis, noo de veris Hieronymus loquitur, quos ſæpius alias a presbyteris diſtinguit. Neque etiam promovet quidquam adverſariorum cauſam S. Aug., dum ad Hier. ſcribit: *Quamquam ſecundum bonorum vocabula, quæ jam eccleſiæ uſus obtinuit, epiſcopatus presbyterio major ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt*. Non enim ea fuit Anguſtini mens, ut allatis verbis doceret, epiſcopos ſolum uſu eccleſiæ & non inſtitutione divina, majores presbyteris eſſe, quoniam noo ipſam epiſcopalem poteſtatem uſus eccleſiæ obtinuit, ſed illa honorum vocabula, quibus antiquitas epiſcopos, apoſtolos, principes ſacrorum & populi, Pontifices & ſummos ſacerdotes &c. adpellabat. De his itaque honorum vocabulis, non de ipſa poteſtate cogitabat Auguſtinus.

§. 63. Præter presbyteros apoſtoli alios elegerunt miniſtros, qui *diaconorum* nomen accepere. Horum aſſumptio in Act. apoſt. c. 6. ita deſcribitur: *In diebus autem illis creſcente numero diſcipulorum factum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum, dixerunt: Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem plenos Spiritu S. & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. —— Et placuit ſermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum, virum plenum fide, & Spiritu ſancto, & Philippum. Hos ſtatuerunt ad conſpectum apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*. Quum itaque manus illis impoſuerint apoſtoli, dubium nullum ſupereſt, quod poteſtatem ſacram, atque adeo *partem* poteſtatis epiſcopalis illis conceſſerint. Hanc tamen partem minorem eſſe illa, quam presbyteri accepere, textus adlatus ſatis docet.

Schol. Qui diaconos ex hierarchia divinæ inſtitutionis excludere volunt, ex citat. cap. 6. Act. adfirmant, eos tantum ad officium diſpenſatorum cibi & potus, & miniſtrorum menſæ, non autem ad hierarchiæ partem aſſumptos fuiſſe, id quod etiam autoritate S. Hier. in epiſt. ad Evagr. 85. diaconos menſarum & viduarum miniſtros vocantis confirmant. His addunt S. Cypriaoum, qui in epiſt. 65. ad Rogatianum monet diaconos: *Ut meminerint, quoniam apoſtolos, id eſt epiſcopos Deus elegit, diaconos autem apoſtoli poſt aſcenſum Domini in cælos ſibi conſtituere epiſcopatus ſui, & eccleſiæ miniſtros*. His reſpondeo, ſeptem illos diacoaos Act. 6. omnino hac occaſione eſſe electos, ut menſis fidelium præſint, oon tamen intra hos limites illorum poteſtas conſtringebatur, quia ex epiſt. 1. ad Corinth. novimus, eo tempore fidelibus in convivio congregatis datam fuiſſe euchariſtiam, ut Chriſtus apoſtolis in ultima cœna dedit. A diaconis itaque ad menſæ miniſterium conſtitutis non ſolum cibi corporales, ſed & euchariſtia data fuit. Hier. dein in citata epiſt. reprimere voluit diaconorum arrogantiam, qui ſe presbyteris æquare volebant, ad quem finem viliora tantum diaconorum officia enumerat, ſpiritualibus quidem prætermiſſis, attamen non excluſis. Tandem Cyprianus monet quidem diaconos ab apoſtolis, & epiſcopos ab ipſo Chriſto fuiſſe conſtitutos, at non ut ordinem ſuum iſti a Chriſto, illi ab eccleſia tantum ordinem ſuum inſtitutum arbitrarentur, ſed ut intelligant, Chriſtum ordinem epiſcopalem per ſe, & immediate, diaconorum vero per apoſtolos & mediate inſtituiſſe, quod ſatis viſum eſt ad majorem honorem epiſcopis vindicandum, quibus morem gerere debere audaces quosdam diaconos docet, ut ex ſcopo ipſius epiſtolæ adparet.

§. 64. Is, qui inſtituit, & dedit totum, & partes ejus inſtituiſſe & dediſſe dici debet. Epiſcopatum ipſe inſtituit Chriſtus, (§. 61.) cum itaque partem poteſtatis epiſcopalis habeant presbyteri, (§. 62.) & diaconi, (§. 63.) relinquitur, epiſcopatus, presbyteratus, & diaconatus originem omnem divinam eſſe.

Corol. Recte itaque Trid. Si quis dixerit: in eccleſia non eſſe hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, qua conſtet ex epiſcopis, presbyteris, & miniſtris, anathema ſit. Seſſ. 23. cao. 6.

Digitized by Google

§. 65. Satis jam nunc intelligitur, hierarchiam divinam ita eſſe comparatam, ut primum locum occupet primatum habens, (§. 60.) Hunc ſequuntur epiſcopi, (§. 61.) dein presbyteri, (§. 62.) Diaconi tandem infimum tenent gradum. (§. 63.)

§. 66. Præter dictos poteſtatis ſacræ gradus (§. 65.) eccleſia ſuo arbitratu etiam alias inſtituit dignitates eccleſiaſticas. Atque iſta eſt ratio; cur hierarchia utraque tum ordinis, tum jurisdictionis (§. 59.) in hierarchiam divinæ & eccleſiaſticæ inſtitutionis dividi debeat.

Schol. Gradus hierarchiæ jurisdictionis ab eccleſia inſtitutæ in ſecunda ſectione enumerabuntur. Ad hierarchiam ordinis eccleſia adjiecit ſubdiaconos, lectores, oſtiarios, exorciſtas, & acolytos. Nam aucto fidelium & eccleſiarum particularium numero dividendæ erant diaconorum functiones, & juxta Trident. mentem Seſſ. 23. cap. 2. eſt conſentaneum, ut quo dignius & majori cum veneratione exerceri poſſet tam ſancti ſacerdotii miniſterium in eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures & diverſi eſſent miniſtrorum ordines, qui ſacerdotio ex officio deſervirent. Hos ipſos autem ordines antiquos eſſe in eccleſia Tertullianus teſtatur libr. de præſcript. cap. 41. hæreticorum ordinationes ita carpens: *Itaque alius hodie epiſcopus, alius cras, hodie diaconus, qui cras lector, hodie presbyter, qui cras laicus*. S. dein Cyprian. etiam hypodiaconi meminit L. 3. epiſt. 22., in qua ad presbyteros & diaconos ita ſcribit: *Feciſſe me ſciatis lectorem Saturum & hypodiaconum Optatum confeſſorem*. Non tamen eadem (ait Fleury in inſt. jur. eccleſ. part. 1. cap. 3.) omnium eccleſiarum facies, nec etiam ſinguli in unaquaque ordines fuere. Aliæ enim vel ſolos lectores & acolytos, aliæ ſolos lectores, & oſtiarios, aliæ præter hos cantores habuere. Multæ orientales eccleſiæ etiamnum ſubdiaconis deſtituuntur. Sed inde ab apoſtolorum temporibus ſemper & ubique fuere epiſcopi, presbyteri & diaconi.

JURIS ECCLESIASTICI PUBLICI
SECTIO II.
DE JURIBUS IMPERANTIUM IN ECCLESIA.

CAPUT PRIMUM.
De Juribus & obligationibus Pontificis.

§. 67.

CUM ex inſtitutione divina & eccleſiaſtica varii exiſtant poteſtatis ſacræ gradus (§. 66.) etiam jura & obligationes illi poteſtatis ſacræ portioni, quam quilibet accepit, ut correſpondeant, eſt neceſſe. Determinatio jurium, cuilibet poteſtatis ſacræ gradui correſpondentium, ſectionis hujus erit argumentum.

Corol. Cum de juribus cujuslibet poteſtatis ſacræ gradui correſpondentibus hic loci dicendum ſit, ordini eſt conveniens, ut de eo initium ſumatur, qui primatum in eccleſia tenet, quoniam is maximam præ ceteris accepit poteſtatis ſacræ portionem. (§. 60.)

§. 68. Ex unanimi SS. Patrum conſenſu, quorum ſcripta ad principia demonſtrandi in jurisprudentia eccleſiaſtica pertinent (§. 13.) proleg.) intelligitur, Chriſtum ex eo fine primatum dediſſe Petro (§. 55.) ut *unitas* in eccleſia conſervetur * Cum itaque Chriſtus eccleſiam ſicut illam inſtituit, ad finem mundi uſque duraturam voluit, (§. 61.) etiam unitas in illa ſemper ut conſervetur

tur velle debuit, ſecus enim eccleſia non permaneret talis, qualis eſt inſtituta.

* *Inter duodecim unum elegit, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Hier. L. 1. contra Jovinian. *Pari quidem conſortio honoris & poteſtatis præditi ſunt apoſtoli, una tamen a Chriſto conſtituta cathedra, & unitatis ejusdem origo ab uno incipit.* S. Cypr. de unit. eccl. pag. 180. *Ideo unus pro omnibus, quia unitas in omnibus.* S. Aug.

§. *69.* Qui vult finem, debet velle media ad finem neceſſaria (per ontolog.) Chriſtus voluit in eccleſia ſemper conſervari unitatem. (§. *68.*) Medium, quo unitas conſervatur, eſt primatus, (ibid.) inde vero conſequitur: primatum (§. 55.) non fuiſſe privilegium Petri perſonale, ſed hujuſmodi, quod non minus ad ſucceſſores Petri, quam apoſtolorum ceterorum poteſtas ad ſucceſſores illorum tranſiit. (§. *61.*) *Nam regnum Chriſti futurum erat æternum* (ait Melchior Canus loc. theol. lib. *6.*), *ergo & eccleſiæ principatus non fuit temporalis. Alioquin ſi Petri poteſtas ad poſteros non eſt tranſlata, nec ceterorum quidem apoſtolorum poteſtatem ad ſuccedentes epiſcopos tranſmiſſam agnoſcemus. Ita nunc in eccleſia nulla aut epiſcoporum, aut ſacerdotum poteſtas erit.*

§. 70. Succeſſor Petri is eſt, qui eandem regit eccleſiam, in qua ille ſedem ſibi fixit.

§. 71. *Petrus Romæ fuit, ibique ſedem ſuam fixit.* Petrum Romæ fuiſſe, vel ex ipſa ejus epiſt. 1. (etiam prætermiſſis ſcriptoribus antiquiſſimis, & apoſtolorum diſcipulis idem teſtantibus, quos hiſtoriæ eccleſiaſticæ doctores recenſent) oſtendi ſatis poteſt, in qua cap. ult. v. 13. ſcribit: *Salutat vos eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta*, nomine vero *Babylonis* Roma venit, partim quia & in apocal. cap. 17. v. 5. Joannes Romam nomine Babylonis adpellat, partim quia Chaldæorum Babylon ante hanc Petri epiſtolam exaratam fuit everſa, Babylon vero Ægyptiorum tunc temporis oppidum erat exiguum iis, ad quos Petrus ſcripſit, vix, aut ne vix quidem notum, & ad quod Petrum veniſſe nemo ſcriptorum teſtatur.

Schol. Petrum Romæ epiſcopum fuiſſe, ibique ſedem ſuam fixiſſe, nemo per quindecim ſecula dubitabat. Seculo dein decimoſexto ejus Romam adventum eo ex capite impugnare quidam cæperunt, quia veteres id, quod de ejus romano itinere referunt, a Papia viro rudi, & rerum chriſtianarum ignaro acceperint, ipſique hujus itineris fautores diſcrepent, num illud Claudii, vel Neronis tempore contigerit, & tandem, quod hoc iter ex ſcripturis probari nequeat. Verum nullum hæ rationes habent fundamentum. Nam Clemens Petri auditor, & Papia antiquior, nec non S. Ignatius apoſtolorum diſcipulus (quorum uterque Petrum Romæ fuiſſe teſtatur) nihil hac in re de Papia mutuarunt. Diſſenſus dein, num iter Petri Claudii vel Neronis ætate contigerit, non ipſum factum, ſed circumſtantias ejus concernit, ſecus enim & mundi exiſtentia neganda foret, cum de anni parte, in qua creatus eſt, non omnes conſentiant. Ceterum diſſenſionem totam Mamachius ita componit, ut Petrum primo ſub Claudio Romam veniſſe, dein rurſus diſceſſiſſe, denuoque ſub Nerone rediiſſe ſtatuat. Ad ultimum tandem dicendum, non omnia apoſtolorum facta in ſcripturis conſignata eſſe, ſed multa per traditionem ad nos perveniſſe.

§. 72. Petri ſucceſſor is eſt, qui eandem regit eccleſiam, in qua ſedem ſibi fixit. (§. 70.) Petrus ſedem ſuam fixit Romæ. (§. 71.) Romani itaque epiſcopi ſunt Petri ſucceſſores. Ad Petri ſucceſſores primatus ejus tranſiit. (§. *69.*) Atque adeo vides rationem, cur eccleſia romanos epiſcopos primatum honoris & jurisdictionis habere ſemper exiſtimaverit.

Schol. Si dicis: Romani epiſcopi primatus fundatus in hoc facto, quod Petrus ſedem Romæ potius, quam alibi fixerit; hoc autem factum humanum eſſe, cum nullo divino mandato

Digitized by Google

dato Petrus Romæ adligatus erat, atque ideo primatum romano epiſcopo jure ſolum humano, non divino competere; reſpondet tibi Bellarminus: Succeſſionem romani epiſcopi in Petri primatum ex inſtitutione Chriſti eſſe, proinde quicunque Petro ſuccedit, accipit primatum. At vero quod epiſcopus romanus, qua epiſcopus romanus eſt, ſit Petri ſucceſſor, ex facto Petri ortum habuit. Nam potuiſſet Petrus nullam ſedem particularem ſibi unquam elegiſſe, ſicut fecit primis quinque annis, & tunc moriente Petro non epiſcopus romanus, aut antiochenus ſucceſſiſſet, ſed quem ſibi eccleſia elegiſſet. Potuiſſet quoque ſemper manere Antiochiæ, & tunc ſine dubio ſucceſſiſſet antiochenus. Quia vero Romæ ſedem fixit, & tenuit uſque ad mortem, inde factum eſt, ut romanus ei ſuccedat epiſcopus.

§. 73. Romanus epiſcopus ſpectatus qua ſucceſſor Petri *Papa*, aut *Pontifex*, primatus vero *Pontificatus*, vel *Papatus* adpellari conſuevit.

§. 74. Regimen eccleſiæ non eſt pure monarchicum, ſed ariſtocratia temperatum, (§. 56.) eſſet vero pure monarchicum, ſi nulli poteſtati pontificiæ limites, ultra quos ſe extendere non debet, eſſent poſiti, idque eo magis, quod Chriſtus primatum ita inſtituerit, ut nihil poteſtatis epiſcopis conceſſæ per illum deſtrueretur. (§. 55.)

§. 75. Ut determinari queat, quouſque ſe poteſtas, & jura Pontificis exporrigant, in principium quoddam illa cognoſcendi eſt inquirendum. Quælibet poteſtas eoſdem cum fine ejus habet limites, (§. 35.) idemque finis ratio eſt ſufficiens ejus exiſtentiæ. Cum vero rationatum ratione ſua ſufficiente latius patere nequeat, (per ontol.) etiam poteſtas pontificia ſe ultra ejus finem, ſeu rationem ſufficientem extendere non poteſt. Finis poteſtatis pontificiæ eſt conſervatio unitatis in eccleſia. (§. 68.) Unde jam ſequens fluit propoſitio, ceu criterium jurium Pontificis cognoſcendorum: *Omnia & ſola illa jura, ſine quibus unitas in eccleſia conſervari nequit, cum primatu eſſentialiter ſunt connexa.*

§. 76. Cum diverſitas dogmatum diverſas fundet eccleſias, (§. 2. corol.) unitas in eccleſia tum habebitur, quando ubique eædem exiſtent determinationes tum immutabiles, tum mutabiles, (§. 17. corol.) ſeu cum determinationes ſtabiles dogmata (§. 10. corol.) & mutabiles diſciplinam conſtituunt, (§. 17. corol.) eccleſia tum erit una, quum in univerſo orbe chriſtiano eadem dogmata, eademque diſciplinæ generalis capita obtinent. Qui dein unitatem conſervare tenetur, noſſe debet, quid ubique terrarum circa fidem, & diſciplinæ generalis capita agatur, quod cum fieri nequeat, niſi iſta ex omnibus regionibus, in quibus eccleſia eſt diſperſa, referantur, patet, Papam jus habere, ejuſmodi relationum tum petendarum tum recipiendarum, id quod primum eſt jus primatui eſſentialiter inhærens. Atque inde eſt, quod Pontifices romani in terras remotas ſubinde viros miſerint, qui exquirerent, quomodo fides reſtituenda eſſet, autoresque diſſenſionum notarent.

Corol. 1. Ex eodem principio fluit: Pontificem ſupremam habere inſpectionem in ea, quæ in eccleſia aguntur, ne unitas ejuſdem detrimentum capiat.

Corol. 2. Habet etiam Pontifex vi primatus jus mittendi legatos ad reſtituendam in fide unitatem.

Schol. Quæ de legatis apoſtolicis notanda ſunt, inferius in ſeparato capite dicetur.

§. 77. Ex receptis relationibus Pontifex ſi intelligit unitatem in fide eſſe diſſipatam, tum illius præprimis erit muneris eandem reſtituere. Etiamſi vero non ſolus in fidei controverſiis ſit judex ob regimen eccleſiæ monarchico ariſtocraticum, (§. 56.) eſt tamen primus tum ordine, tum jurisdictione, (§. 55.) *atque adeo primæ ejus in cauſis fidei debent eſſe partes.* En! ſecundum jus eſſentiale primatus.

§. 78. Quod ſi vero ſola ejus autoritas ſufficiens haud foret ad unitatem in fide reſtituendam, aliis ad hunc finem obtinendum mediis inſtructus eſſe debet.

debet. Experientia conſtat, unicum quandoque ad fidei controverſias componendas remedium eſſe concilium generale. Quum itaque is, qui obligatur ad finem, jus ad media ad finem neceſſaria habere debeat, infertur, *jus concilia convocandi* Pontifici competere, idque tertium eſt jus eſſentiale primatus.

Schol. Etiam Imperantibus civilibus alio ex titulo quandoque jus convocandi concilia generalia ſalvis primatus juribus competere poſſe, in ſectione tertia oſtendetur. Immo ipſi epiſcopi proprio motu in concilium convenire poſſunt, ſi Papa ſit dubius, aut hæreticus, vel ſi præfracte nolit congregare ſynodum eccleſiæ tamen neceſſariam.

§. 79. Cum Pontificis primæ in cauſis fidei ſint partes, (§. 77.) eas non tantum extra, ſed etiam in concilio, quod unitatis ſervandæ gratia celebratur, retinet. Per id autem in conciliis primæ ejus ſunt partes, ſi iis vel per ſe, vel per ſuos legatos (§. 76. corol. 2.) præſidet. *Jus itaque conciliis præſidendi* quartum eſt jus eſſentiale primatus, præſertim cum prorſus ſit conveniens, ut in concilio, in quo eccleſia una repræſentatur, caput ejus ceteris membris præſideat.

§. 80. Præſidentiam hanc neceſſe eſt eſſe ejusmodi, ut nihil reliquorum epiſcoporum in ſuffragando detrahat libertati, quoniam per primatum Chriſtus nihil de ceterorum epiſcoporum poteſtate deſtruere voluit, (§. 55.) ac proin præſidentia *per jus relationis cum prærogativa ſuffragii* perappoſite explicatur, id eſt: jus præſidendi eſt jus referendi ad Patres, quid ſentiendum ſit, primamque ferendi ſententiam. Atque inde eſt, quod Petrus in concilio hieroſolymitano in controverſia de obſervatione legalium jus præſidendi per prærogativam ſuffragii, primam ferendo ſententiam, exercuerit.

§. 81. *Si per τὸ confirmare intelligatur novas addere rationes, ſeu motiva, jus concilia confirmandi non eſt jus primatus eſſentiale.* Concilium œcumenicum in determinationibus dogmaticis eſt infallibile, (§.16.) etiam nondum accedente confirmatione pontificia: ergo robur internum, novasque rationes illis Pontifex addere nequit.

Schol. Libenter quærerem (ait Boſſuet def. declar. cler. gallic. lib. 13. cap. 10. ludantne nos ſynodi, cum abſolute ac decretorie pronunciant: *Si quis non ita ſenſerit, anathema ſit?* Ac nimis profecto ineptiunt, qui hæc anathemate intentari reſpondent, ſynodis ſub ratihabitione, & confirmatione futura Pontificis; at ſaltem audiant formulas ab omnibus ſynodis frequentatas, quæ effectum ipſum denotant: *Ab eccleſia projecimus, privavimus, nudavimus omni dignitate*; ac rurſus alio modo: *Nudatus eſt, privatus eſt, projectus*. Tanquam perfecta re, quam ipſi perdere volunt. Poſtremo, ſi adhuc hæſitant, eſto illud ab VIII. ſynodo decretum peremptorium haud minus adverſus eorum ſententiam, quam adverſus Photium: *Nos eum inobedientem, & reſiſtentem ſanctæ huic, & univerſali ſynodo repulimus, & anathematizavimus, atque a tota, & apoſtolica eccleſia fecimus alienum per datam nobis poteſtatem in Spiritu ſancto a primo & magno Pontifice noſtro liberatore, & ſalvatore cunctorum.* Quid enim exſpectant, qui ſic pronunciant? Sed nos in tam claris plus æquo immoramur.

§. 82. *Per jus concilia confirmandi aliud intelligi nequit, quam jus robur, quod decretis concilii jam ineſt, uberius declarandi, & relationem actorum in concilio, ut executio eorundem promoveri queat, petendi.* Si jus concilia confirmandi primatui inhæret, in unitatis conſervatione rationem ſui habere debet. (§. 75.) Confirmationem talem, per quam decretis concilii rationes novæ, & robur internum ſuperadderetur, unitatis conſervatio haud requirit, quoniam Pontifex rationes novas addere nequit. (§. 81.) Nihil itaque ſupereſt, niſi ut dicatur, jus confirmandi in eo eſſe poſitum, ut Pontifex relationem actorum in concilio petere

tere poſſit, ut populo fideli concilium legitime celebratum fuiſſe declarare, atque num ejus ſtatuta ubique obſerventur, invigilare queat.

Corol. Omnia itaque primatus jura circa conciliorum celebrationem in eo ſunt poſita, ut poſſit ea Pontifex convocare, (§. 78.) iis præſidere, (§. 79) eaque in ſenſu in commate expoſito confirmare.

§. 83. Iis ſub determinationibus, in quibus diſſidium in fide moribusque generalis concilii ſententia eſt componendum, vel ſi non facilis & opportuna eſſet ſynodi congregandæ occaſio, nihilominus interim, donec aut concilium generale, aut ſi hoc congregandi occaſio non eſſet, eccleſiæ univerſæ conſenſus litem dirimat, remedia præſto eſſe debent, quibus diſſenſus, ne porro ſe diffundat ſiſtatur. Quum itaque Pontificis ſit unitatem conſervare, illiusque in fidei quæſtionibus præcipuæ ſint partes, (§. 77.) ſit conſectarium, eum dictis ſub determinationibus jus habere edendi leges & decreta in cauſis fidei morumve ſaltem *proviſorie*, ac *interim*, quibus omnes obſequium præſtare tenentur, ſaltem ad non dogmatizandum contrarium, donec concilium, aut eccleſia diſperſa aliud decidat. Atque habes ſextum jus eſſentiale primatus.

§. 84. Ad eccleſiæ unitatem non tantum dogmata eadem, ſed etiam eadem diſciplinæ generalis capita faciunt. (§. 76.) Quid ad diſciplinam generalem pertineat, determinationes eccleſiæ mutabiles determinant, (§. 17. cum corol.) quæ determinationes diſciplinares cum in ſacris canonibus contineantur, earumque finis ſit vires atque voluntates ad finem ſocialem unire, (§. 17.) jam patet, Pontificem jus habere, obſervantiam eorum promovendi urgendique. Septimum itaque jus eſſentiale primatus erit, ut Pontifex tutor & vindex canonum ſit per omnes eccleſias.

§. 85. Ad canonum, ſeu determinationum diſciplinarium obſervantiam vindicandam & reſtaurandam iteratis quandoque opus eſt legibus. Cum itaque obligatio ad finem ſimul ad media cum fine connexa facultatem tribuat, jus ferendi leges diſciplinares univerſales pro octavo jure primatus eſſentiali eſt ponendum.

Schol. Harum legum promulgationem ſolum Romæ *factam* non ſufficere, ex iis ſatis intelligetur, quæ in *ſectione* tertia de placito regio dicentur. Et quid juris competat epiſcopis circa leges pontificias, eo in capita, in quo de juribus eorum agetur, exponam.

§. 86. Adpellatio eſt imploratio judicis ſuperioris ad tollendum gravamen a judice inferiori illatum.

§. 87. *Judex eccleſiaſticus contra præſcriptum canonum agens, dat jus adverſus illum adpellandi.* Judex eccleſiaſticus contra præſcriptum canonum agens ſua abutitur poteſtate, atque ſubditos lædit. Subditos lædere, eſt illis gravamen inferre. Gravamen illatum dat jus adpellandi. (§. 86.) Patet itaque propoſitum.

§. 88. *Jus recipiendarum adpellationum in cauſis eccleſiaſticis, ſalvis inſtantiis intermediis, eſt jus primatus eſſentiale.* Ad jura primatus eſſentialia pertinet jus invigilandi, ut per omnes eccleſias canonum obſervantia cuſtodiatur, vindiceturque, (§. 84.) ergo etiam media violationem canonum impedientia ad jura primatus pertinere debent. Porro inter hæc media jus recipiendi adpellationes pertinet. (§. 86. & 87.) Eſt itaque jus recipiendi adpellationes nonum jus primatus eſſentiale, id quod erat primum.

Jurisdictio eccleſiæ, proin & Pontificis ſe ad cauſas civiles non extendit, (§. 22. corol.) ergo jus adpellationes recipiendi ſolum in cauſis eccleſiaſticis locum habere poteſt, id quod erat alterum.

Regimen eccleſiæ non eſt pure monarchicum, ſed ariſtocratia temperatum, (§. 56.)

(§. 56.) & primatus ita eſt inſtitutus, ut epiſcoporum in regimine eccleſiaſtico poteſtati nihil ademptum ſit, (§. 55.) itaque adpellationes apud Pontificem interpoſitæ omiſſis inſtantiis & judicibus intermediis, naturæ ſocietatis eccleſiaſticæ repugnant, id quod erat tertium.

Corol. Quare vides rationem, cur contra adpellationes ad ſedem romanam & nuncios apoſtolicos in cauſis civilibus ſactas Germani gravamina protulerint in comitiis Wormatienſibus anno 1495. Lindavienſibus anno 1496. conventu regimenti Norimbergici anno 1501. & in illis præſertim centum gravaminibus, quæ Sigismundo Imperatori ſunt exhibita. Contra ejusmodi adpellationes in receſſu imperii anno 1654. & capitulationibus cæſareis Ferdinandi IV., Leopoldi, Joſeph I., Caroli VI., Franciſci, & Joſephi II. eſt cautum art. 14. §. 4. (Germ.) *Similiter volumus* civiles *in Imperio cauſas a ſuo regulari dicaſterio ad nuncios apoſtolicos vel ad curiam romanam nullo pacto deferri poſſe; ac ſevere cæſareis fiscalibus cameræ imperialis vel aulicæ mandamus, ut partibus, advocatis, procuratoribus & notariis, qui contravenire audent, ex officio adverſentur, eoſque puniendos denuncient.*

§. 89. Paſtores eccleſiaſtici obligationi ſuæ non ſatisfacientes, & ab officio ſuo diſcedentes diſciplinam lædunt. Conſervatio diſciplinæ ad jura pertinet primatus, (§. 84.) proin Pontifex illos ad muneris ſui expletionem revocandi, eorumque defectus jure devolutionis (ſalvis tamen devolutionibus intermediis) ſupplendi jus habet. Id, quod eſt decimum jus eſſentiale primatus.

§. 90. Epiſcoporum juribus detrahere eſt lædere determinationes eccleſiaſticas. Læſio determinationum eccleſiaſticarum ſolvit unitatem. (§. 76.) Quum itaque unitatis conſervatio ad Pontificem pertineat, jus & obligatio epiſcopos, eorumque jura tuendi, undecimum eſt jus primatus eſſentiale.

§. 91. Obſervatio legum & canonum in conciliis generalibus aut a tota eccleſia conditarum ad conſervationem unitatis in diſciplina pertinet, ac proin, cum non in deſtructionem, ſed conſervationem unitatis primatus ſit datus, (§. 68.) Pontifex pro libitu in iis diſpenſare nequit. Quoniam vero tamen quandoque contingit, ut ex capite neceſſitatis, vel utilitatis remittendum ſit aliquid de rigore legum quarundam, & concilia, quæ legis gratiam facerent, cogi ſemper haud poſſint, recta ad duodecimum jus primatus refertur poteſtas diſpenſandi in canonibus conciliorum generalium, quotieſcunque colligi poteſt ipſum concilium ex prudentia legiſlatoria legis gratiam feciſſe exigente id neceſſitate, aut utilitate eccleſiæ.

Corol. Cum jus diſpenſandi in canonibus conciliorum Pontifici competat, multo magis, dum dubium de concilii mente exoritur, jus illud interpretandi habere debet, cujus interpretationi, ne ab unitate recedatur, tamdiu eſt adquieſcendum, donec non ſubſequens concilium, aut totius eccleſiæ conſenſus contrarium decidat. Atque nunc intelligis, quid de congregatione Cardinalium concilii Tridentini interpretum ſit ſentiendum.

Schol. Quomodo idem jus diſpenſandi etiam epiſcopis ſalvis primatus juribus competere poſſit, ſuo loco dicetur.

§. 92. Jura illa, quæ primatui ſunt eſſentialia, ſemper penes eum, qui primatum tenet, eſſe debent. Inde vero infertur, quod ſi hodie Pontifex quædam habeat jura, quæ in primæva eccleſia penes eum haud fuerant, ſed poſterioribus demum temporibus acceſſere, illa ita eſſe comparata, ut ſalvo primatu abeſſe queant. Jura ejusmodi, quæ ſalvo primatu abeſſe poſſunt, jura primatus *accidentalia* ſcholæ adpellare conſueverunt.

§. 93. Jus epiſcopos confirmandi primitus erat penes epiſcopos *ordinatores*, id

Digitized by Google

id eſt Metropolitanum cum ſuffraganeis vi canonis IV. Nicæni, quo decernitur: *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in provincia conſtituti, ſi autem ſit hoc difficile vel propter urgentem neceſſitatem, vel viæ longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptiſque aſſentientibus, tunc electionem fieri, eorum autem, quæ fiunt, confirmationem in unaquaque provincia a Metropolita fieri*. Quo canone non de ſola ordinatione agi, innuit conſenſus abſentium, qui ad confirmationem, nequaquam vero ad ordinationem aliquid conferre poteſt. Quia tamen omnibus comprovincialibus epiſcopis ſemper haud commodum erat ad ſingulas epiſcoporum ordinationes convenire, ſenſim jus confirmationis ad ſolos Metropolitanos eſt devolutum, quare concilium Nicænum ſtatuit: *Poteſtas ſane vel confirmatio pertinebit per ſingulas provincias ad Metropolitanum epiſcopum*. Verum ſæculo 14., ubi per reſervationes pontificias proviſiones, ſeu nominationes ad Sedem pontificiam ſunt devolutæ, etiam jus confirmandi Metropolitanis ademptum eſt. Indignum quippe videbatur, ut a Pontifice ad epiſcopatum deſignatus a Metropolita confirmationem petere juberetur, quod tantundem fuiſſet, ac nominationem pontificiam Metropolitani judicio probandam, vel improbandam relinquere. Quum itaque jus epiſcopos confirmandi ſequioribus primo temporibus ad Pontificem traductum ſit, eſt jus primatus *accidentale*.

§. 94. Confirmatio a conſecratione primitus vix ſejungebatur, ſiquidem eodem quaſi actu & tempore conſecrabantur & confirmabantur epiſcopi. Cum itaque Metropolita in confirmatione epiſcoporum præcipuas habuerit partes, (§. 93.) etiam conſecrationem ad illum pertinuiſſe conſequitur. At poſtquam jus confirmandi Pontifici eſt reſervatum, (§. 93.) etiam jus conſecrandi tanquam ejusdem conſectarium & adpendix eidem acceſſit, id quod alterum eſt jus accidentale primatus.

§. 95. Translatio epiſcoporum de una eccleſia in aliam ſemper vetita fuit excepta cauſa neceſſitatis, aut utilitatis, quia ad officium paſtoris rite peragendum neceſſe eſt oves ſuas agnoſcere, * notitia vero gregis cum crebra paſtorum translatione componi haud poſſe videtur. Jus cognoſcendi, utrum ſub data determinatione neceſſitas aut utilitas translationem exigat, canon 27. concilii Carthaginenſis IV. Metropolitano tribuit. At poſtquam ſeculis ſequentibus translationes epiſcoporum in Occidente ſunt factæ frequentiores, falſarumque decretalium, quibus jus epiſcopos transferendi Pontifici tribuebatur, doctrina ſit recepta, ſucceſſive translationes epiſcoporum Pontifici reſervari, illiuſque juribus accidentalibus adnumerari cœpere.

* Joan. 10. cap. Mandatum eſt omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas *agnoſcere*. Con. Trid.

§. 96. Epiſcopum confirmatum & conſecratum cum ſua eccleſia conjugium quoddam ſpirituale contrahere ajunt canones. Hujus conjugii ſpiritualis vinculum ſolvere, ſeu epiſcopatui renunciare nemini epiſcoporum propria licet autoritate conſenſu ſuperiorum non requiſito. Cum itaque quondam prima epiſcoporum inſtantia Metropolitanus cum epiſcopis provincialibus fuerit, jam adparet ratio, cur cauſæ reſignationum ad ſynodum provincialem pertinebant. Hæc diſciplina per octo viguit ſecula. Seculo dein nono & ſequentibus jus ceſſiones, & reſignationes admittendi Metropolitanis eſt ademptum, & ab Alexandri, & Innocentii III. temporibus pro jure primatus accidentali eſt habitum.

Schol. Pontificem nullius indigere conſenſu, ſi renunciare Papatui vellet, libr. 6. decret. titul. de renunc. cap. 1. eſt deciſum.

§. 97. Forum ordinarium, in quo epiſcopi judicari, aut deponi poterant, erat ſynodus provincialis. Et etiamſi id initio ſolum uſu & moribus ſit introductum, tamen poſtea in canones eſt relatum, firmatumque in concilio Nicæno can. 5. At poſtquam Iſidori decretales, in quibus ſoli Pontifici jus epiſcopos exautorandi competere dicitur, in decretum Gratiani ſunt relatæ, ubivis putabatur, epiſcopum a nemine niſi a ſumma Sede judicari poſſe. Atque ita factum eſt, ut jus epiſcopos exautorandi inter jura primatus accidentalia venerit.

Schol. Synodus provincialis quidem poterat propria autoritate epiſcopos deponere, attamen ſemper ſollicita eſſe debuit, ne hanc exerceat poteſtatem, niſi juſtis ex cauſis, quas canones ipſi ad depoſitionem ſufficientes agnoſcunt. Secus ſi factum fuiſſet, Pontifex qua canonum vindex (§. 84.) & epiſcoporum defenſor (§. 90.) jus habuit injuſtam condemnationis ſententiam ut irritam declarandi. Nec deſunt exempla, quod epiſcopi a ſynodis provincialibus oppreſſi Pontificis auxilium imploraverint.

§. 98. Jus epiſcopatus novos erigendi ad jura concilii provincialis olim pertinuiſſe, docet canon 98. codicis eccleſiæ Africanæ: *Placuit & illud, ut plebes, quæ nunquam habuerunt proprios epiſcopos, niſi ex concilio plenario uniuscujusque provinciæ, & primatis, atque conſenſu ejus, ad cujus diœceſin eadem eccleſia pertinebat, decretum fuerit, minime accipiant.* Poſtea tamen ſeculo circiter undecimo jus hoc ad ſolum devolutum eſt Pontificem, juribusque primatus accidentalibus adnumeratum.

§. 99. Jus epiſcopatus uniendi, dividendique cum jure novos erigendi eſt analogum. Sicut itaque ex analogia conciliis provincialibus jus erigendi epiſcopatus novos habentibus, (§. 98.) etiam jus eosdem dividendi, uniendique eſt conceſſum; ita pariter, ex quo jus epiſcopatus novos erigendi jus primatus accidentale eſt factum, etiam jus eos uniendi & dividendi privative ad Pontificem pertinet.

§. 100. *Canonizatio* eſt judicium eccleſiæ, aut Pontificis de ſanctitate cujusdam defuncti ex actionibus externis vitæ integritatem & innocentiam internam præſeferentibus, nec non ex miraculis ſive in vita, ſive poſt illam patratis eo ex fine deductum, ut is publico cultu in eccleſia honorari poſſit. Quod ſi judicium ejusmodi ab epiſcopo, aut ſynodo provinciali feratur, erit canonizatio *particularis*; ſecus *generalis*, ſi concilium generale, aut Pontifex aliquem toti eccleſiæ ut ſanctum declarat.

Corol. Canonizationem particularem accedente eccleſiæ totius conſenſu in generalem evadere, ex data definitione patet.

§. 101. Per decem ſecula in eccleſia nonniſi canonizationes particulares notæ erant, quæ autoritate epiſcopi ſine ullo pene ritu exteriori peragebantur; quamprimum enim epiſcopo de vitæ ſanctitate alicujus defuncti ſufficienter conſtabat, facultas dabatur populo eum publice colendi. Seculo undecimo Papæ autoritas a nonnullis ad hoc opus requiri cœpit, ſalvo tamen permanente in hoc negotio epiſcoporum præſertim Metropolitanorum jure. Ex quo vero Alexander III. edixerat, canonizationem tanquam unam ex cauſis majoribus ad ſolum pertinere Pontificem, omni epiſcopis in hoc negotio adempta poteſtate, jus beatificandi, canonizandique pro jure primatus accidentali eſt habitum.

Schol. Nec Pontificem, nec totam eccleſiam in ſanctorum canonizatione infallibilem eſſe, Muratorius, & cum eo primi ſubſellii theologi pridem aſſeruere. Nos eccleſiæ infallibilitatem ex jure determinandi deduximus, ibique demonſtratum fuit, illam ſolummodo in determinationibus dogmaticis privilegium inerrantiæ accepiſſe. (§. 11.) Porro quid-

quid ad determinationes dogmaticas pertinet, Chriſtus jam apoſtolis revelavit, inde vero theologi certiſſimam hanc deduxere poſitionem: *Eccleſiæ nunquam dari novas revelationes*. Fac jam eccleſiam in ſanctorum canonizatione eſſe infallibilem, tum verum erit dicere hanc propoſitionem: *Defunctus A vel B hoc ſeculo canonizatus, eſt vere ſanctus*, fuiſſe revelatam, ac proin eſſe dogma. Atque ita nunc exiſteret dogma, quod in prima eccleſia non exſtitit. Quoniam vero diverſitas dogmatum diverſas fundat eccleſias, (§. 2. corol.) jam nunc aliam haberemus eccleſiam ab illa, quam Chriſtus inſtituit, diverſam, id quod voluntati ejus repugnat, (§. 11.) Interea tamen is, qui diceret: Eccleſiam aut Pontificem in ſanctorum canonizatione reipſa erraſſe, etſi pro hæretico haberi non poſſet, intolerandam, & pœnis dignam temeritatem, ac impudentiam committeret; adcurata enim proceſſus inſtitutio, & ſagaciſſima in defuncti ſanctitatem inquiſitio efficit, ut, ſi non moraliter certum, ſaltem multis gradibus probabilius ſit, canonizatos eſſe ſanctos, quam non eſſe. Lumen vero naturale jubet ex duabus propoſitionibus contradictoriis in certitudinis defectu eligere probabiliorem.

§. 102. Regulæ primorum vitæ monaſticæ autorum privatæ erant inſtitutiones monachis datæ, & vix unquam litteris conſignatæ. Quum itaque antiquæ regulæ monaſticæ a præpoſitorum voluntate dependebant, mirum non eſt, ſi in illis nec epiſcoporum, nec Sedis apoſtolicæ adprobatio adpareat. SS. Franciſcus & Dominicus primi fuere, qui Romæ ordinis ſui confirmationem petierant. Quia vero circa idem tempus novi religioſorum ordnes adeo multiplicati ſunt, ut *gravis inde in eccleſiam Dei confuſio inducenda timeretur* (cap. final. de relig. domib.) in concilio Lateranenſi vetuit Innocentius III, ne quis de cetero novum ordinem inveniat; quod decretum cum parum obſervaretur, rurſus in concilio Lugdunenſi eſt renovatum, omneſque prohibiti ordines, quos Sedes apoſtolica non adprobaſſet. Ex hoc tempore jus adprobandi, tollendique inſtituta religioſorum ordinum evaſit in jus primatus accidentale.

§. 103. *Criterium cognoſcendorum illorum jurium primatus accidentalium, quæ antiquitus jam vigebant, ſunt jura a Metropolita in ſynodo provinciali exercita.* Jura primatus accidentalia, quæ antiquitus erant nota, ſunt jus epiſcopos confirmandi, (§. 93.) conſecrandi, (§. 94.) transferendi, (§. 95.) deponendi, (§. 97.) admittendi eorundem reſignationes, (§. 96.) novos epiſcopatus erigendi, (§. 98.) eoſque uniendi, aut dividendi, (§. 99.) atqui hæc jura primatus a Metropolita in ſynodo provinciali exercebantur, (§. §. citat.) proin ſequitur id, quod erat oſtendendum.

Corol. 1. Canonizationes ſolennes primo ſeculo undecimo ſunt introductæ, (§. 101.) & adprobatio ordinum religioſorum tempore concilii Lugdunenſis (§. 102.) Quum itaque hæc duo jura primævæ eccleſiæ haud fuerant nota, etiam idem cum reliquis juribus primatus accidentalibus cognoſcendi principium haud habent.

Corol. 2. Cum jura primatus accidentalia olim fuerint a ſynodis provincialibus exercita, poſſent (ait Reverendiſſ. Abbas Rauttenſtrauch in inſtit. juris eccleſ. (§. 173.) ſalva unitate eccleſiæ, & juribus primatus *eſſentialibus*, illa reſtitui ſynodis, ſi vetus eorum ſtatis temporibus celebrandarum diſciplina civitate rurſus in ſocietate chriſtiana donaretur.

§. 104. Cæteræ præter primatum dignitates eccleſiaſticæ Pontificis ſunt, ut ſit Patriarcha totius Occidentis, Primas Italiæ, Metropolita provinciæ romanæ, & tandem Epiſcopus romanus.

Corol. Quæcunque itaque Patriarchæ, Primates, & Archiepiſcopi habent jura, iisdem & Pontifex in diſtrictibus enumeratis gaudet.

Schol. 1. De juribus Patriarcharum, Primatum, Metropolitarum, & Epiſcoporum ſeparatis capitibus agetur. Quæ itaque ibi dicentur, etiam ad Pontificem, qua Patriarcham, Primatem, Metropolitanum, & Epiſcopum ſunt adplicanda.

Digitized by Google

Schol. 2. Dicendum hic foret, quousque ſe patriarchatus, exarchatus, & archiepiſcopatus Pontificis extendat, quasque ſub ſe contineat provincias. Verum hæc magis hiſtoricorum, quam juriſconſultorum eſt determinare. Illud raptim notaſſe lubet, quinque tantum patriarchatus in eccleſia notos fuiſſe. Ex his quatuor, nimirum Alexandrinus, Antiochenus, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus in Oriente erant, quorum nullus quidquam jurisdictionis in Occidente unquam habuit, igitur pro patriarchatu romano univerſus Occidens neceſſario manet reliquus.

CAPUT SECUNDUM.

De Cardinalibus eorumque Juribus.

§. 105. In hierarchia ſacra inſtitutionis eccleſiaſticæ (*§.66.*) primum poſt Pontificem locum occupant Cardinales. Vides itaque, cur abſolutis juribus Pontificis de Cardinalium origine, eorumque juribus ſit dicendum.

§. 106. Olim nomen Cardinalis commune fuit illis, qui cujusdam eccleſiæ miniſterio perpetuo addicti, & velut incardinati erant, & id non tantum de epiſcopis, ſed etiam de presbyteris & diaconis eſt intelligendum, qui alicui eccleſiæ tanquam ordinarii erant adſcripti. Per ſimilitudinem autem hujusmodi epiſcopi, presbyteri, vel diaconi vocabantur Cardinales, quia ſicut *cardo* fixus & immobilis eſt, ac circa illum valvæ volvuntur, ita quoque circa illos epiſcopos, presbyteros, aut diaconos tanquam fixos & proprios eccleſiarum *cardines* populus eorum curæ commiſſus in eccleſiaſtico regimine quodammodo volveretur. In eo igitur ſolum Cardinales a Non-cardinalibus diſtinguebantur, quod priores fixi paſtores, poſteriores vero adventitii, & ſubſidiarii alicui eccleſiæ eſſent adſignati.

Corol. Juxta hanc ergo veterum Cardinalium nomenclaturam hodierni Parochi vere dicerentur *Cardinales* presbyteri vicepaſtores vero *Noncardinales*.

§. 107. Quare ſatis intelligitur, antiquitus eccleſiæ romanæ Cardinales alios non fuiſſe, quam ipſum ordinarium clerum romanum ex presbyteris & diaconis conſtantem. Porro diaconiæ romanæ erant loca, in quibus per diaconos regionarios pauperes, viduæ, pupilli & ſenes regionis alebantur, habebantque hæc loca, quæ quaſi publicæ domus hoſpitales erant, ſacella ſibi adjuncta. Qui itaque his locis tanquam *proprius* diaconus ad miniſtrandum dictis perſonis præficiebatur, diaconus cardinalis adpellatus eſt. Erant hujusmodi hoſpitales per quatuordecim regiones urbis diſtributæ. Uſu dein horum hoſpitalium paulatim exoleto, ipſisque ædibus dirutis, ſolis ſacellis nomen diaconiæ adhæſit, a quibus diaconi urbis Romæ dicti fuere.

§. 108. Epiſcopi autem cardinales romani multis ſeculis erant ignoti, cum antiquitus epiſcopus cardinalis alius non fuerit, quam proprius & fixus, talis autem nullus præter epiſcopum romanum, ſeu Pontificem dici potuit. Adeoque veroſimile eſt, ſeculo primo undecimo, aut duodecimo contigiſſe, quod eccleſiæ Lateranenſi, quæ eſt ſpecialis ſedes Pontificis, propter ſuam & romani epiſcopi excellentiam ſeptem epiſcopi ex circumvicinis civitatibus adſignati ſint, qui certis diebus coram romano Pontifice celebrarent divina, aut Pontifici celebranti aſſiſterent, atque eam ob cauſam deinde epiſcopi *cardinales*, quod huic eccleſiæ & Pontificis miniſterio adſcripti eſſent, adpellari cœpere.

§. 109. At ſucceſſu temporis cardinalatus jam non ab eccleſiæ adſcriptione, ſed a ſpeciali Pontifici aſſiſtentia præſtanda repeti cœpit, inde factum, ut excluſis aliis illi ſoli Cardinales adpellabantur, quibus poſt Nicolai II. tempora eligendi Pontificis poteſtas conceſſa eſt.

§. 110.

§. 110. *Nicolaus II. ſolis cardinalibus epiſcopis poteſtatem eligendi Pontificem conceſſit*. Nam Nicolai decretum ſic ſonat: *Statuimus, ut obeunte hujus romanæ univerſalis eccleſiæ Pontifice, imprimis cardinales epiſcopi diligentiſſime ſimul de electione tractantes, mox ipſi clericos cardinales adhibeant, ſicque reliquus clerus & populus ad conſenſum novæ electionis accedat*. Quamvis autem cardinales epiſcopos tractantes de electione, mox ipſos clericos cardinales adhibere jubeat, atque adeo videatur, ac ſi etiam presbyteris cardinalibus eccleſiæ romanæ poteſtatem electionis commiſerit, tamen illum ſolummodo presbyteros cardinales peculiarius præ ceteris eccleſiæ romanæ clericis, ut factæ electioni conſentiant, adhiberi voluiſſe canon 1. conditus in eodem concilio romano, in quo antea citatum decretum edidit Nicolaus, ſatis evincit. Siquidem ibidem ait: *Primo namque inſpectore Deo, eſt ſtatutum, ut electio romani Pontificis in poteſtate cardinalium epiſcoporum ſit, ita, ut ſi quis apoſtolicæ ſedi ſine præmiſſa concordi & canonica electione eorum, ac dein ſequentium ordinum religioſorum, clericorum, & laicorum conſenſu inthronizatur, is non Papa, aut apoſtolicus, ſed apoſtaticus habeatur*.

Corol. Cum itaque collegium cardinalitium tempore Nicolai II. ex ſolis epiſcopis conſtabat, ſatis liquet, ſeptem illos epiſcopos miniſterio eccleſiæ Lateranenſis adſcriptos hanc tunc temporis dignitatem geſſiſſe, quoniam iidem jam diu ante epiſcopi *cardinales* nominabantur. (§. 106.)

§. 111. *Alexander III. etiam cardinalibus presbyteris poteſtatem eligendi Pontificem dedit*. Cum enim Nicolaus II. ſolis cardinalibus epiſcopis jus eligendi Pontificem commiſiſſet, (§. 110.) reliquus clerus romanus id indigne ferens moleſtias & turbas in electionibus excitavit, quas ut ſedaret Alexander III., numerum cardinalium eligentium auxit, & præcipuæ dignitatis ſacerdotes, Priorem nimirum, ſeu Archipresbyterum Lateranenſem, Archipresbyterum S. Petri, & S. Mariæ majoris, Abbates S. Pauli, & S. Laurentii extra muros, aliosque in eligentium ordinem retulit.

§. 112. Pacato clero nobiliori, etiam inferior ad quietem eſt deductus, poſtquam diaconi cardinales, ſeu regionarii (§. 107.) eligentium numero adſcripti ſunt, quamquam quis Pontificum id fecerit, incertum ſit, atque ita jus eligendi Pontificem ceteris excluſis ad ſolos tranſiit cardinales.

Schol. Alexander III. in concilio Lateranenſi tertio ſanxerat, illum pro vero Pontifice eſſe habendum, in quem duæ partes Cardinalium conſentiunt, quod decretum mortuo Alexandro III. in electione ſucceſſoris ejus Lucii III. primo vim obtinuit.

§. 113. Cardinales hodiedum ii ſunt, quibus poſt Nicolai II. tempora jus eligendi Pontificem eſt conceſſum. (§. 109.) Poteſtas hæc conceſſa eſt primitus a Nicolao II. ſeptem epiſcopis agri romani, (§. 110. corol.) dein ab Alexandro III. presbyteris romanis præcipuæ dignitatis, (§. 111.) & tandem a Pontifice quodam, qui quisnam fuerit, neſcitur, etiam diaconis regionariis. (§. 112.) Vides itaque, quomodo factum ſit, ut hodiernum Cardinalium collegium ex Cardinalibus epiſcopis, presbyteris, & diaconis conſtet.

Schol. Cardinales epiſcopi ſunt ſex, presbyteri quinquaginta, & diaconi quatuordecim. Eccleſiæ cathedrales, quibus ſex Cardinales epiſcopi præſunt, numerantur iſtæ: 1) Oſtienſis, & Veliterna invicem unitæ. 2) Portuenſis, & S. Rufinæ, itidem unitæ: 3) Albanenſis. 4) Sabinenſis. 5) Tuſculana, & 6) Præneſtina.

§. 114. Collegium cardinalitium brevi ſplendidiſſimis eſt auctum decoribus & juribus. Quo vero præciſe tempore hæc eorum dignitas creverit, determina-

ri

ri abſolute nequit. Id ſatis conſtat, ſenſim, atque ſenſim in eam, in qua modo conſpiciuntur, eminentiam perveniſſe. Advertunt quidam, Cardinalium dignitatem cum romani Pontificis autoritate ſemper creviſſe, adduntque autoritatem Pontificis maximam fuiſſe tempore Alexandri III.

§. 115. Decora & ſplendorem eorundem externus veſtitus & honorum tituli conficiunt. Imprimis enim illis Innocentius IV., cum a Pontifice ad regendas eccleſiæ terras mitterentur, rubeum pileum circa annum 1244. tradidit, quod poſtea vel per conſuetudinem, vel per expreſſam conceſſionem omnibus Cardinalibus datum eſt. Dein Paulus II. publico decreto mandavit propoſita pœna, ne quisquam birretam coccineam præter Cardinales ferat, quibus etiam primo ſui pontificatus anno pannum ejusdem coloris dono dedit, quo equos, & mulos ſternerent, dum equitarent. Hæc cardinalitia inſignia cum tantum Cardinalibus a clero ſeculari aſſumptis eſſent data, Gregorius XIV. etiam regularibus pileum rubrum conceſſit (nam antea pileis ejusdem cum veſte ſua coloris utebantur) & aliquibus tunc præſentibus propria manu impoſuit, ut videre eſt in ejus conſtitutione, quæ incipit: *Sanctiſſimus*. Poſt hæc ſub Urbano VIII. eſt decretum, ut jam non *illuſtriſſimi* vocarentur prout hactenus, ſed *eminentiſſimi*, huncque titulum non eſſe communicandum, niſi ſolis Electoribus eccleſiaſticis imperii, & vetitum Patriarchis, Primatis, Archiepiſcopis, aliisque Prælatis ſub pœna anathematis titulum illum aſſumere.

§. 116. Inde vero factum eſt, ut tantam tandem nacti fuerint dignitatem, vi cujus omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis antecedunt. Initio quidem ne ipſi quidem Cardinales epiſcopi ſubſcribebant, aut ſedebant ante alios epiſcopos ordinatione priores, nec presbyteri cardinales ante ullos prorſus episcopos. Primi erant Cardinales epiſcopi, qui aliis anteire cœperunt epiſcopis, cum quibus, quum & ceteri in unum coaluiſſent collegium, (§.113.) æque ante epiſcopos pedetentim obtinere proedriam. Non tamen antea hæc Cardinalium prærogativa ita firma erat, ut non identidem epiſcopi ſuum recuperarent gradum, niſi ſeculo decimotertio in concilio Lugdunenſi I. in quo ante Archiepiſcopos, & in concilio Lugdunenſi II. etiam ante Patriarchas ſederunt.

§. 117. *Cardinalibus primus in ordine civili poſt reges locus jure divino poſitivo haud competit*. Ex eſſentia & natura religionis chriſtianæ nulla prærogativæ civilis neceſſitas intelligitur, ſiquidem Chriſti & apoſtolorum prima erat dignitas obtutu religionis, & tamen nullam aut Chriſtus, aut apoſtoli habuere prærogativam civilem; proin nec Cardinalibus quædam concedi debet, præſertim cum non ab ipſo Chriſto ſunt inſtituti.

§. 118. *Nec ex jure eccleſiaſtico humano civilis Cardinalibus dignitas competit*. Nemo dat, quod non habet; eccleſia vero nullam a Chriſto accepit poteſtatem, & dignitatem civilem (§.41.) ergo neque Cardinalibus aliquam dare poteſt.

§. 119. *Cardinalium primus poſt Reges in ordine civili locus etiam ex jure civitatis & gentium erui nequit*. Ex principiis enim juris civitatis conſtat, civilibus alieni territorii juribus abſque læſione præjudicari non poſſe; neque civitas ulla, utpote in ſtatu libertatis naturalis relate ad alia territoria exiſtens, ejusmodi præjudicia agnoſcendi obligationem habet.

Corol. Cum itaque nullo jure civilis Cardinalium dignitas nitatur, præpoſtera illorum Canoniſtarum doctrina, qui aſſeruere, illos poſt Regès eorundem filios, & alios omnes quacunque civili dignitate fulgentes præire. Tum enim ſolum adfirmari hoc poſſet, ſi hæc, illave civitas arbitrarie in talium Cardinalium prærogativam conſenſiſſet; eſt ab Electo-

ctoribus S. R. I. hic honoris gradum nondum fuit agnitus, & quanquam in Gallia adhuc ſub Franciſco I. regiæ ſtirpis Principibus præibant, in Poſſiacenſi tamen colloquio anno 1561., ut iis poſthac cederent, eſt decretum.

§. 120. Retulimus proedriam & inſignia Cardinalium, videamus etiam jura & officia eorundem. Hæc vero alia ſunt Sede papali plena, alia illa vacante. Sede plena primos agunt Pontifices conſiliarios, variis Romæ præſunt congregationibus, quibus certum genus cauſarum eccleſiaſticarum a Pontifice committitur: (quæ ſuo loco exponentur) & funguntur munere protectorum ad curanda negotia variorum regnorum & Principum.

Schol. Protectorem Germaniæ ad curanda negotia ſtatum eccleſiæ germanicæ concernentia in aula romana Imperator deſignat, uti conſtat ex capit. Cæſ. Joſephi II. Imp. Art. 23. §. 4. (Germ.) *Volumus, ut par eſt, conſilia dominatus noſtri cæſarei atque Protectionem Germaniæ ---- ---- ex ſolis Germanis natis aut ſaltem Imperii feudatariis conſtare.*

§. 121. Sede vero vacante imperio civili in omnibus eccleſiæ romanæ terris funguntur eo ordine, ut ſingulis diebus tres ſint Cardinales, unus epiſcopus, presbyter alter, tertius diaconum locum tenentes, & gaudent jure eligendi Pontificem privative. (§. 109.)

CAPUT TERTIUM.

De Legatis & Nunciis Apoſtolicis.

§. 122. *Legati Admiſſio jure gentium naturali non eſt ſemper neceſſaria.* Etſi enim reipublicæ legatum mittentis finis ſit læſionem illatam avertere, commodum ſuum promovere, aut alterum populum arctiori ſibi amicitia devincire; ac proin etſi aut juſtitiæ in primo, aut æquitati in altero caſu repugnare videatur legationis inauditæ rejectio, tamen nulla gens aliquid horum officiorum lædit, cum legatos aditu prohibet tales, qui minus grati, aut hoc munere ſunt indigni, vel qui plane videntur reipublicæ pernicioſi, quum Imperantibus jus competat omne damnum a civitate avertendi (per pr. jur. & civit.)

Corol. Admiſſio itaque legati nec ſemper eſt voluntatis, ut Gundilingius, nec ſemper neceſſitatis, ut Darieſius voluit. Tum nimirum eſt neceſſitatis, dum mittens juſtam habet mittendi cauſam, eoque mittitur modo, ut eum rejiciendi ex cauſis recenſitis nulla adſit, ſecus neceſſitatis non erit. Quotiescunque vero dubium adeſt, num admiſſio legati illi, ad quem mittitur, ſit pernicioſa, tum exiſtimat Illuſtr. de Martini, eum jure gentium naturali in finibus territorii audiendum eſſe.

§. 123. Ad jura primatus eſſentialia pertinet jus mittendi legatos, qui exquirant, quid ubivis terrarum circa fidem, & diſciplinam generalem agatur. (§. 76. corol. 2.) Qui Pontificem in exercitio hujus juris impedit, illum lædit, Imperantes itaque legatos Pontificis, dum debito mittuntur modo, juſtaque ex cauſa recipere tenentur. (§. 122. corol.)

§. 124. Chriſtus noluit jura primatus per legationem ita exerceri, ut inde Regum majeſtati, juribus populorum, (§. 41. 42. & 49.) aut epiſcoporum quidquam detrahatur. (§. 55.) Proin Pontifex jus eo modo mittendi, quo legatio civitati evaderet noxia, non habet. Quod ſi itaque legatio, modusve illius civitati noceret, aut juſta legationis cauſa non adeſſet, Imperantes legatos Pontificis admittere non tenentur. (§. 122. corol.)

Co-

Corol. 1. Optime ergo componi hæc duo poſſunt : *Ad jura primatus eſſentialia jus mittendi legatos pertinet*; & rurſus : *Imperantes non ſemper tenentur legatos Pontificis admittere* . Nimirum Pontifex per legationem unitatem ſemper conſervare poteſt , etſi nullum alium illi mittere liceat , niſi talem, qui reipublicæ , ad quam mittitur , eſt gratus, qui non alio mittitur cum charactere , quam res exigit , qui reipublicæ periculoſus non eſt, qui denique dignus eſt hoc munere, easque habet dotes, quas S. Bernardus in epiſtola ad Eugenium III ex eo requirit , nimirum , *ut tales eligantur , qui legatione Sedis apoſtolicæ ornati eccleſias non ſpolient , ſed emendent, qui marſupia non exhauriant , ſed corda reficiant, & crimina corrigant , qui cum ad apoſtolicam redierint Sedem , redeant fatigati , & non ſuffarcinati &c.*

Corol. 2. Etiam intelligitur , quo ſenſu accipienda ſit extrav. unica de conſuet. inter communes, in qua dicitur : *Neminem chriſtianorum ab ingreſſu provinciarum jure arcere poſſe legatos Pontificis*, adjecta etiam in arcentes excommunicationis & interdicti pœna. Nimirum tum ſolum nemo chriſtianorum jus habet legatos Pontificis arcendi, dum debita mittuntur forma absque eo, quod jura lædantur majeſtatica, aut epiſcoporum, non item ſecus.

Corol. 3. Cum Imperantis ſit cognoſcere , quinam legatos mittendi modus civitati ſit perniacioſus, ſequitur legatos pontificios Principis conſenſum requirere, ſuorumque mandatorum articulos eidem exhibere debere.

Schol. Exempla, quod legati pontificii quandoque a Principibus ſint rejecti , refert Petrus de Marca , & Van-Eſpen , facitque huc etiam epiſt. Friderici Imp. ad Hadrianum IV. Pont., qua reſpondet querelæ illius, quod miſſis ad Imperatorem Cardinalibus , non tantum eccleſias , ſed & portas civitatis occludi juſſiſſet.

§. 125. ***A tempore Nicolai I. Pontificis ita legatorum autoritas creſcere cœpit, ut ſucceſſu temporis jura epiſcoporum ab illis ſint turbata.*** Concurrenter enim jurisdictionem tum contentioſam, tum voluntariam cum epiſcopis in eorum diœceſibus exercebant, jurisdictionem epiſcoporum ſuſpendebant, eosdem exautorabant, & cenſuris ſubjiciebant. Venerunt inſuper ſæpius magna cum pompa , & comitatu, & epiſcopi juramento ſeſe obſtringere debuerunt ad dandas procurationes neceſſarias, quæ ſæpius modum excedebant . Per hæc autem, & ſimilia jura epiſcoporum turbantur, eorumque autoritas vileſcit.

§. 126. Chriſtus noluit jura primatus per legationem ita exerceri, ut epiſcoporum juribus quid detrahatur. (§. 124.) Succeſſu temporis epiſcoporum jura a legatis pontificiis ſunt imminuta. (§. 125.) Recteque itaque modus eſt poſitus poteſtati legatorum in concilio Conſtantienſi, & Baſileenſi, necnon in Tridentino, quod ſeſſ. 24. c. 20. de reform. voluit: *Ut cauſæ omnes ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales ſint, in prima inſtantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoſcantur — — — neque legati etiam de latere , nuncii, gubernatores eccleſiaſtici epiſcopos in prædictis cauſis impedire, aut alio quovis modo eorundem jurisdictionem iis præripere , aut turbare præſumant , ſed nec etiam contra clericos, aliasve perſonas eccleſiaſticas, niſi epiſcopo prius requiſito , eoque negligente procedant: alias eorum proceſſus , ordinationesve nullius momenti ſint, atque ad damni ſatisfactionem partibus illati teneantur.* Demum etiam leges prodiere, quæ expenſas & procurationes moderantur, ut videre eſt c. 6. & 23. de cenſ. cap. 2. 3. h. t. in VI.

Schol. Speciatim in Germania per concordata legatorum poteſtas ita eſt reſtricta in collatione beneficiorum, ut neque poteſtate *concurrente* cum epiſcopis, aut jure *præventionis* , neque jure concedendæ *expectativæ* , aut *reſervationis* uti valeant , nec impertiri confirmationes Archiepiſcopis , Epiſcopis , & Abbatibus exemptis , ſoli Pontifici per concordata reſervatas . §. 93. ſchol.)

§. 127. Hodiernorum legatorum genera, quod attinet, tria eorum vigent. Alii enim ſunt legati *nati*, alii *miſſi*, alii legati *a latere*. Legati miſſi, vulgo *nuncii apoſtolici* illi dicuntur, qui ad diverſas nationes ablegantur, ut quaſi per-

petuo bono eccleſiæ romanæ illic invigilent, donec a Pontifice revocantur, quos ſimiles eſſe legatis ordinariis, ſeu *reſidentibus*, quos Imperantes ad nationes exteras, ut ibidem continuo bono reipublicæ invigilent mittunt, ſatis patet.

Schol. Tres in Germania legati miſſi, ſeu nuncii apoſtolici exiſtunt. Nimirum Viennæ in Auſtria, Lucernæ in Helvetia, & Coloniæ in provinciis rhenanis.

§. 128. Pontifices unionis cum eccleſia romana conſervandæ cauſa præcipuarum eccleſiarum Præſules olim dignitate legati exornarunt, qui, cum titulus legati ex privilegio eccleſiis eorum ſit adnexus, legati *nati* adpellantur. Horum major ab initio, quam miſſorum fuit autoritas. At cum poſtea animadverterent Pontifices, non tantum ſibi præſidii eſſe ſitum in his legatis, qui plerumque dignitates ſuas citra illorum autoritatem conſequuntur, quam iis, qui eorum voluntate mittuntur, aucta legatorum miſſorum poteſtate, legatis natis ferme nihil præter nomen remanſit.

Schol. Munus legati nati in Germania gerunt Archiepiſcopi Colonienſis & Salisburgenſis, Pragenſis in Bohemia, & Strigonienſis in Hungaria.

§. 129. Tertium genus legatorum ſunt ii, quos legatos *a latere* adpellamus propterea, quod ſumantur e collegio Cardinalium, qui quaſi pars corporis Pontificis lateri ejus perpetuo adeſſe ſolent. Fit tamen quandoque, ut quidam, etſi Cardinales non ſint, cum charactere legati a latere mittantur, quo ceteros antecellant.

Schol. Magnam poteſtatem, & privilegia multa decretaliſtæ legatis a latere ob eorum eminentiam præ ceteris legatis adtribuunt, at ſatis norunt Germaniæ juriſconſulti nihil ab illis, quod legibus & pactis imperii fundamentalibus eſt contrarium, exerceri poſſe.

CAPUT QUARTUM.
De Patriarchis, Exarchis, Primatibus, & Metropolitis.

§. 130. Epiſcopi pro locorum amplitudine alii aliis facti ſunt eminentiores. Qui itaque in primaria quidam provinciæ urbe erant Epiſcopi, Metropolitæ, ſeu Archiepiſcopi; qui in urbe, ex qua plures provinciæ regebantur, Exarchi, Primates, aut Patriarchæ nominabantur. Inde autem factum, ut in hierarchiam inſtitutionis eccleſiaſticæ (§. 66.) quatuor epiſcoporum gradus ſint introducti. Quoniam porro ſectionis præſentis ſcopus ſit determinatio jurium cuilibet gradui poteſtatis ſacræ correſpondentium, (§. 67.) jam adparet ratio, cur præmiſſis juribus, & dignitatibus perſonarum eccleſiaſticarum epiſcopis majorum, de variis epiſcoporum gradibus agatur.

§. 131. Etymologiam vocis *Patriarchæ* aliqui derivant a græco ἄρχοντα πατέρων, quod tantundem eſt, ac *Princeps Patrum*, alii vero hanc adpellationem inde deſumunt, quaſi πατριᾶς ἄρχων, *gentis Primas*. Primorum opinio magis cum regiminis eccleſiaſtici natura conſentit, dum *gentis Primas* profanum potius reſpicit ſenſum. *Principes Patrum* autem Patriarchæ relate ad Archiepiſcopos, quibus præpoſiti ſunt, merito adpellantur.

Schol. Etſi jam apud Judæos, & Montaniſtas quidam fuerint, qui Patriarchæ dicebantur, apud orthodoxos tamen veſtigia hujus adpellationis ante ſæculum quintum non inveniuntur.

§. 132. *Origo Patriarcharum non eſt inſtitutionis divinæ*. Demonſtratio habetur §. 64. corol.

§. 133.

§. 133. *Patriarchæ nec ſunt inſtitutionis apoſtolicæ*. Etſi enim detur, apoſtolos orbem chriſtianum & eccleſiaſticum in provincias diviſiſſe ſecundum formam imperii romani, quoniam in ſuis epiſtolis chriſtianos, ad quos ſcripſerant, conſentanee ad limites provinciarum romanarum adpellant, uti Petrus eos ſecundum provincias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ & Aſiæ diſtinguit, id tamen ſolummodo adjuncta eorum temporum poſcebant, neque oſtendi poteſt, quod epiſcopis in diverſis provinciis ab illis conſtitutis, alios ſubjecerint epiſcopos, id quod tamen notio Patriarchæ exigit.

Schol. Minus adhuc originem Patriarcharum apoſtolicam probat canon ımus, & adus Diſt. 80. & 99., in quibus Patriarchæ, & Primates a beato Petro, Clemente, & apoſtolis conſtituti dicuntur. Præterquam enim, quod canones iſti ex ſpuriis Iſidori decretalibus ſumpti ſint, ex hiſtoria patet, ævo Petri & Clementis nomina Patriarcharum & Primatum in eccleſia neque nota fuiſſe. (§. 131. ſchol.)

§. 134. *Sententiæ originem Patriarcharum ab honore, qui in eccleſias quaſdam ab earum fundatoribus redundabat, derivanti, aliquid veritatis ineſt, non tamen de ſe ſola eſt ſufficiens*. Eccleſia romana, nec non Antiochena per Petrum, & Alexandrina per Marcum eſt inſtituta. His eccleſiis dignitas patriarchalis eſt conceſſa, at nulla adeſt ratio, cur recte hæ eccleſiæ prærogativam patriarchalem ſint aſſecutæ, præter honorem, qui in illas ex fundatoribus manavit. Sententia itaque originem Patriarcharum ab honore, qui in eccleſias quaſdam ab eorum fundatoribus dimanavit, derivans, aliquid veritatis habet. Id, quod erat primum.

Si a ſolo honore, qui in quaſdam eccleſias ab earum fundatoribus manavit, origo Patriarcharum repetitur, nulla adparet ratio, cur eccleſia Hieroſolymitana nobiliſſima & antiquiſſima, in qua S. Jacobus apoſtolus primus fuit epiſcopus, ſimplex tantum epiſcopatus fuerit olim? Sententia itaque a ſolo honore, qui in quaſdam eccleſias ab earum fundatoribus redundabat, originem Patriarcharum repetens, de ſe ſola non eſt ſufficiens. Id, quod erat alterum.

§. 135. *Sententia originem Patriarcharum repetens a diviſione romani imperii in regiones & provincias, etiam aliquid veritatis habet, non tamen de ſe ſola eſt ſufficiens*. Epiſcopus Byzantinus antea Patriarcha non fuit, quam urbis ipſa Byzantium caput Orientis a Conſtantino fuiſſet conſtituta, neque adparet ratio, cur eccleſia Hieroſolymitana ſimplex olim fuerit epiſcopatus, niſi romani imperii diviſio in ſubſidium vocetur; ergo ſequitur id, quod erat primum.

Sententia quæ originem Patriarcharum ab honore in eccleſias quaſdam ab earum fundatoribus manante derivat, aliquid veritatis habet, (§. 134.) proin a ſola imperii romani diviſione originem Patriarcharum derivare non ſufficit. Id, quod erat alterum.

§. 136. *Origo Patriarcharum partim ab Honore in eccleſias quaſdam ab earum fundatoribus manante, partim a romani imperii diviſione eſt repetenda*. Origo Patriarcharum neque eſt inſtitutionis divinæ, (§. 132.) neque apoſtolicæ, (§. 133.) ſerius itaque ſunt introducti. Quod ſi ergo poſteriora ab apoſtolis tempora indagentur, invenitur, ſive origo Patriarcharum ab honore in eccleſias quaſdam ab earum fundatoribus manante, ſive a romani imperii diviſione repetatur, utrique ſententiæ aliquid veritatis ineſſe, neutram tamen, de ſe ſola ſufficere, (§. 134. & 135.) ergo utraque in explicanda Patriarcharum origine eſt conjungenda.

Schol. Præterquam enim, quod epiſcopis eccleſiarum ab ipſis apoſtolis fundatarum prærogativæ quid præ ceteris eſt tributum, etiam diviſo imperio romano in provincias ad epiſ-

Digitized by Google

copos urbis metropolitanæ, cum judice in cauſis eccleſiaſticis eſſet opus, chriſtiani recurrebant, in quos ipſa jam loci dignitas plus honoris & poteſtatis transfudiſſe videbatur.

§. 137. Atque inde ſimul ceterarum poſt Patriarchas dignitatum clara redditur origo. Diſtributum eſt enim romanum imperium in diœceſes, diœceſis rurſus in provincias, ac in utriſque urbes quædam primæ, tanquam diœceſium civilium, & provinciarum capita, ſedesque præfectorum imperatoriorum, ad quos cum ſæpe rerum civilium cauſa, tum provinciæ, tum totius etiam diœceſeos epiſcopos venire oportuerat, iliisque epiſcopi loci ſubſidium præſtabant, factum eſt, ut reliqui vel ei ſe addicerent, vel ſubeſſe non gravarentur. Cumque ob frequentem ad primas urbes adventum epiſcoporum etiam crebrius illic haberentur concilia, paulatim aſſueſcebant concilio provinciali, aut nationali, cui pro jure ſuo primarum urbium epiſcopi præerant. Denique quoniam apoſtoli converſionem gentium a celebrioribus imperii romani urbibus inceperant, atque in his primæ ab iis inſtitutæ ſint eccleſiæ, etiam epiſcopis harum urbium ſpecialis dabatur prærogativa.

§. 138. Quæ omnia ſimul ſumpta efficiebant, ut cum ſæpe inter ipſos epiſcopos judice opus fuerat, qui excitatas inter eos lites dirimeret, poteſtas hæc illarum urbium epiſcopis delata ſit, atque hoc facto pedetentim, ut ſolet in iis, quæ uſu invehuntur, urbium harum epiſcopi in Metropolitas, Primates, & Exarchos evaſere, donec hæc jura primo moribus introducta, in concilio Nicæno, & ſubſequentibus lege fuere confirmata.

Schol. Uberior originis patriarchalis ceterarumque dignitatum, nec non quæ eccleſiæ, quo modo, quove tempore ad Patriarchatum ſint evectæ, explanatio ad hiſtoriam eccleſiaſticam pertinet. Vide Schol. §. 104.

§. 139. Expoſita Patriarcharum origine de juribus eorumdem videamus, quæ cum vel honoris aut jurisdictionis eſſe poſſint, de utroque genere erit dicendum. Jura honoris aut inſignia Patriarcharum erant pallium & crux, quæ illis in toto patriarchatu præferebantur, & Orientis quidem Patriarchis etiam ignis ſeu lampas, ſive imperatorum exemplo, & ex antiqua inter Cæſares & Pontifices ornamentorum reciprocatione, ſive ex uſu veteri, quo viris, dignitate, aut ſanctitate perſpicuis ſolebat accenſis cum lampadibus obviam iri.

§. 140. Jura vero jurisdictionis præcipua, & fere omnibus communia hæc numerantur: 1) Conſervare unitatem fidei per unanimem in dogmatibus conſenſum. 2) Omnes ditionis ſuæ Metropolitas per ſe, aut legatos ſuos ordinare. 3) Convocare ſynodos, iisque præſidere. 4) Eorum, qui a Metropolitis, ſynodisque provincialibus gravati ſunt, adpellationes admittere. 5) Leges tum eccleſiaſticas, tum civiles eccleſiam concernentes promulgare. 6) Graviora eccleſiæ negotia decidere.

§. 141. Poſt Patriarchas proxime ſequuntur *Primates*. Primatis nomen, quod generatim ſignificat eum, qui primum ac præcipuum locum alicubi obtinet, olim non niſi aliud Patriarcharum, iisque ſolis proprium nomen fuerat. At ſucceſſu temporis ſingularem hierarchiæ gradum a Patriarchis diſtinctum denotare cœpit, eoque titulo gaviſi ſunt præcipuarum quarumdam urbium epiſcopi, quibus ſupra ceteras Metropoles prærogativæ quidquam tributum eſt. Duorum autem generum Primates antiquitas prodit. Primum eorum, quibus ſola prærogativa præ Metropolitanis absque ulla in eos jurisdictione competit; alterum vero eorum, qui præter dignitatem autoritatem quoque in alios Metropolitas habent, adpellanturque *Exarchi*.

§. 142. Illi Primates, quibus ſola dignitas, & nulla autoritas in alios Metro-

tropolitanos competit, viciſſim nulli etiam ſubſunt Primati. Atque hoc ſenſu in Germania olim Primatis nomen & honor omnibus archiepiſcopis videtur fuiſſe adtributus (excepto Viennenſi in Auſtria utpote recentiori.) Quamquam enim in nullum alium Metropolitam jurisdictionem exercerent, ſatis tamen ad tuendum Primatis nomen creditum eſt, eos nulli alteri Primati ſubjectos eſſe.

§. 143. Juriſdictio Exarchorum aut Primatum autoritatem ſupra ceteros Metropolitas habentium (§. 141.) in eo conſiſtebat: 1) Ut Epiſcopos & Metropolitas ante ordinationem confirmarent; 2) gravioris momenti cauſas deciderent; 3) convocarent concilia nationalia; 4) curam gerant, ut per omnes ditionis ſuæ eccleſias diſciplina, & leges eccleſiaſticæ obſerventur; 5) Metropolitis, epiſcopis, ceteriſque clericis patria exituris *formatas*, ſeu *communicationis litteras* darent.

§. 144. Metropolitarum dignitas primo moribus fuit introducta. Quemadmodum enim urbs, quæ metropolis civilis erat uniuscujusque provinciæ, urbium caput fuerat, ita etiam conſuetudine eſt introductum, ut qui epiſcopus urbis metropolis eſſet, ceterorum etiam in eadem provincia epiſcoporum caput evaderet. Dein vero, id, quod moribus eſt introductum, conciliorum canonibus eſt ſtabilitum, veluti Conc. Nic. 1. can. 4. & 6., & Conc. Antiocheni can. 9. ubi dicitur: *Epiſcopos, qui ſunt in unaquaque provincia, ſcire oportet, epiſcopum, qui præeſt metropoli, etiam curam ſuſcipere totius provinciæ, eo, quod in metropolim concurrant omnes undequaque, qui habent negotia.*

§. 145. Etſi vero Metropolitani primitus dicti ſint a metropoli provinciæ, (§. 144.) tamen poſtea alia ratio placuit; ſiquidem Innocentius I. in epiſt. 18. ad Alexandrum Antiochenum epiſcopum ſcribit: *Non debere duos metropolitanos epiſcopos nominari, quando diviſa provincia ab Imperatore duæ fierent metropolitanæ urbes*, addens rationem: *Quia non decet ob neceſſitatem mundanam Dei eccleſiam commutari, aut diviſiones perpeti.* Qua ex diſciplina factum eſt, ut, cum Imperatores novam metropolim civilem conſtituerunt, non ſemper eccleſiaſticam quoque dignitatem conſecuta ſit; quapropter hodie non dignitatis urbium habetur ratio, ſed jurium olim adquiſitorum, aut nuper conceſſorum.

§. 146. *Jura Metropolitarum quondam inſignia lapſu temporis imminuta ſunt.* Pleraque enim Pontifices ſibi reſervarunt, juribusque primatus accidentalibus adnumerata ſunt. (§. 103.)

§. 147. Per id, quod jura metropolitica ſint imminuta, (§. 146.) eſt facta correctio juris communis. Cum vero non plus cenſeatur correctum, quam ſit expreſſum, & cum in dubio pronunciandum ſit pro jure communi, ac pro eo, qui habet intentionem in jure fundatam, ſequitur in determinandis juribus Metropolitarum ad hoc recurrendum eſſe principium: *Omnia illa jura Metropolitis competunt, quæ illis in jure communi conceduntur, & a Pontifice aut ſynodis iis non leguntur adempta.*

Corol. Eſt itaque falſa regula ſtatuens: nullos ſuos ſuffraganeos niſi caſibus in jure expreſſum habere Metropolitanos jurisdictionem in ſis.

§. 148. Jura Metropolitarum ſunt illa, quæ habent de jure communi, & quæ illis non leguntur adempta. (§. 147.) Hujuſmodi autem ſunt: 1.) Jus ſupplendi negligentiam ſuffraganeorum tum in proviſione beneficiorum, tum in adminiſtratione juſtitiæ; * 2) jus in ſcriptis adprobandi abſentiam ſuffraganeorum a ſuis diœceſibus; ** 3) eos, qui jam per annum non reſident, Pontifici denunciandi; *** 4) ſuffraganeos in erigendis ſeminariis deſides corripiendi; † 5) tertio quovis anno concilium provinciale indicandi. ††

* C.

* C. fin. de ſuppl. neglig. in 6. ** Trid. Seſſ. 23. C. 1. *** Trid. Seſſ. 6. c. 1. † Trid. Seſſ. 23. C. 18. †† Trid. Seſſ. 24. Cap. 2.

§. 149. Illi, quondam Metropolitani dicebantur, hodie *Archiepiſcoporum* nomen habent proprium. Quidquid itaque de Metropolitanis eſt dictum, idem de hodiernis archiepiſcopis eſt intelligendum.

Schol. Nomen archiepiſcopi primum non niſi romano Pontifici, deinde Patriarchis, poſtea Primatibus, & demum ſeculo octavo omnibus Metropolitis promiſcue eſt tributum.

§. 150. Inter inſignia archiepiſcopalia principem ſibi vindicat locum *pallium*, ſeu faſcia quatuor digitorum, habens deſuper circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ab utraque parte, videlicet ante & retro tantiſper pendentes: habet inſuper cruces purpureas (alii nigras adpellant) ante & retro, a dextris, & a ſiniſtris, inſiguntur etiam tres acus aureæ, lapidem pretioſum in capite habentes, ſcilicet ante pectus, & ſupra ſiniſtrum humerum, & poſt tergum, & in utraque linearum extremitate aliquid plumbi poſitum eſt, ut firmius caſulæ adhæreat.

Schol. 1. Origo pallii archiepiſcopalis non ſatis eſt eliquata. Illud certo conſtat, tempore Gregorii P. & Juſtiniani Imp. pallium tum in eccleſia græca, tum in latina notum fuiſſe, ut ex illius Epiſtolis, & hujus Novellis patet.

Schol. 2. Juxta modernum uſum pallia conficiuntur ex lana agnorum prius in miſſa ſolenni in eccleſia S. Agnetis extra muros urbis die ejus cultui dicato oblatorum. Dicuntur hæc pallia ſumpta de corpore B. Petri, propterea, quod benedicantur & conſecrentur a Papa ſupra altare B. Petri.

Schol. 3. Olim pallium a Pontifice gratis dabatur. Invaluit poſtea, ut ad ſuſtentandos curiæ romanæ officiales aliquid exigeretur, quæ ſumma ita augebatur, ut natio germanica contra ejusmodi exactiones nimium graves apud Imp. Maximilianum I., & Carolum V. gravamina interpoſuerit.

§. 151. *Pallium eſt plenitudo poteſtatis archiepiſcopalis.* Nam in formula, qua pallium traditur, dicitur: Ad honorem omnipotentis Dei, & divæ Mariæ ſemper virginis, atque B. B. apoſtolorum Petri & Pauli, nec non eccleſiæ ſibi commiſſæ N. tradimus tibi pallium de corpore ſancti Petri ſumptum, *in quo eſt plenitudo pontificalis officii cum patriarchalis, tum archiepiſcopalis nominis adpellatione.*

Corol. 1. Ergo pallio nondum recepto actus juriſdictionis archiepiſcopus exercere nequit, non quidem ac ſi jus ac poteſtatem omnem per electionem & conſecrationem non adquiſiviſſet, ſed tantummodo poteſtatis ejus exercitium ſuſpenditur.

Corol. 2. Cum inauguratio Regum ad actum ordinis vere hierarchicum referri nequeat, nil prohibet, quin illam archiepiſcopi ante receptum pallium peragere queant.

Corol. 3. Sicut traditio pallii plenitudinem poteſtatis confert, ita viciſſim ademptio ejusdem exautorationis, & depoſitionis eſt ſignum.

§. 152. *Uſus pallii eſt perſonaliſſimus*, *eoque archiepiſcopus non niſi in ſua eccleſia, idque certis tantummodo diebus, quæ feſta pallii dici ſolent, uti poteſt.* Ita enim in traditione pallii dicitur: Tradimus tibi pallium — — ut utaris eo inter eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab apoſtolica Sede conceſſis.

Corol. 1. Itaque archiepiſcopus pallium neque commodare alteri vivus, neque ſucceſſori relinquere moriturus, neque translatus uſum prioris retinere poteſt.

Corol. 2. Si archiepiſcopum ſacris indutum veſtibus eccleſiam proceſſionaliter, vel alio modo exire contigerit, pallio ſuo uti nequit. Cap. 1. extrav. de uſu & autor. pallii.

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

De Epiſcoporum juribus, & obligationibus.

§. 153. Illos, qui poteſtatem apoſtolorum ſacram in toto ſuo ambitu ſumptam habent, epiſcopos nominamus, (§. 61.) ſunt itaque epiſcopi apoſtolorum ſucceſſores, ac proin eandem cum apoſtolis poteſtatem ordinariam * habere debent, ſecus enim non ſucceſſio, ſed nova foret inſtitutio.

* Poteſtas apoſtolorum in *ordinariam* ſeu *eſſentialem*, & *extraordinariam* ſeu *accidentalem* dividi poteſt. Prior omnia ea ſub ſe comprehendit, quæ ad munus paſcendi pertinent, & in hac ſola epiſcopi ſuccedunt, extraordinaria enim in prærogativis conſiſtit, quæ ſolummodo naſcenti eccleſiæ erant neceſſariæ, uti eſt donum miraculorum, linguarum, infallibitas cujuslibet ſingillatim accepti, & ſimilia. His nimirum prærogativis gentibus, quibus evangelium prædicabant, miſſionem ſuam *extraordinariam* oſtendere debuerant; at miſſio epiſcoporum eſt tantum ordinaria, ad quam probandam plus non requiritur, quam ut epiſcopi in tali ſerie ſe invicem conſequantur, quæ recedendo non antea niſi in ipſis apoſtolis terminatur.

§. 154. *Apoſtoli poteſtatem ſuam non a Petro, ſed immediate ab ipſo Chriſto acceperunt.* Ipſe Chriſtus immediate omnibus dixit: *Accipite Spiritum ſanctum* &c. Item: *Sicut miſit me pater, ita & ego mitto vos.* Atqui pater Chriſtum immediate miſit; ergo etiam Chriſtus miſit apoſtolos immediate.

§. 155. *Epiſcopi poteſtatem ſuam immediate a Chriſto habent.* Epiſcopi ſunt apoſtolorum ſucceſſores, (§. 153.) apoſtoli autem immediate poteſtatem ſuam a Chriſto acceperunt, (§. 154.) ergo idem de eorum ſucceſſoribus epiſcopis dicendum. Ad veram enim ſucceſſionem pertinet, ut a quo anteceſſor, & ſucceſſor accipiat poteſtatem, ne ſecus ſucceſſio deſinat, & nova oriatur inſtitutio, per quam eccleſia jam non maneret eadem cum illa, quæ eſt inſtituta, contra ac voluit Chriſtus (§. 11.) Ferme ad eundem modum, ſicut non foret ſucceſſio, ſed nova inſtitutio, ſi Petri ſucceſſores non immediate a Chriſto haberent primatum. (§. 72.) Quibus accedit, olim confirmationem epiſcoporum ſejunctam non fuiſſe ab eorum conſecratione, (§. 94.) adeoque poteſtatem omnem, & jurisdictionem epiſcopalem conſecratione conſequebantur. Jam vero conſecratio eſt ſacramentum. (per theol. dogm.) Quoniam porro effectus ſacramentorum immediate a Deo deſcendunt, rurſus conficitur: Epiſcopos poteſtatem ſuam immediate ab ipſo Chriſto accipere.

Corol. 1. Ex praxi confirmationem a conſecratione non ſeparandi ſequitur: antiquam eccleſiam exiſtimaſſe, poteſtatem epiſcoporum immediate a Deo deſcendere.

Corol. 2. Recte itaque, & conformiter ad mentem eccleſiæ antiquæ in concilio tridentino Hiſpani & Galli originem poteſtatis epiſcopalis immediate a Deo eſſe contendebant, at quoniam Itali iis contradixerunt, deciſum eſt nihil.

Schol. 1. Demonſtrationi pro immediata epiſcoporum poteſtate a ſucceſſione in locum apoſtolorum petitæ opponi nequit, apoſtolos ideo immediate ab ipſo Chriſto ſuum accepiſſe a poteſtatem, quia illis ipſe præſens fuit, quod in epiſcoporum ordinatione non contingit. Nam etiam Paulo non ab ipſo Chriſto, ſed ab Anania impoſitæ ſunt manus, & tamen ipſemet ſcribit in epiſt. ad Galat. Paulus apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, *ſed per Jeſum Chriſtum.* Dein neque Pontifex ipſo Chriſto præſente ſicut Petrus, accipit primatum, & tamen nemo adhucdum exiſtimabat Papæ primatum non immediate a Chriſto deſcendere.

Schol 2. Neque inde ſequitur epiſcoporum poteſtatem immediate a Papa, & mediate tantum a Chriſto eſſe, quia Papa eam mox reſtringit, mox extendit, ſubinde vero plane tollit; non enim ipſam poteſtatem, ſed exer-

citium

citium ejus reſtringit aut extendit. Quis autem inde immediatum poteſtatis epiſcopalis fontem Pontificem dicit? niſi quis etiam adfirmare velit, nos videndi potentiam non ab organi viſualis ſtructura, ſed a lumine habere, quia per magis aut minus intenſum lumen mox clarius, mox obſcurius videmus.

§. 156. Si epiſcopi Pontificis eſſent vicarii, non ab ipſo Chriſto immediate ſuam acciperent poteſtatem. Cum itaque a Chriſto ipſo eorum jurisdictio deſcendat, (§. 155.) infertur, illos diœceſes ſuas jure proprio, non Pontificis nomine regere.

Corol. 1. Eſt proin poteſtas illorum plenaria, ſolida, & *ordinaria*, non autem delegata. Atque ita vides rationem, cur epiſcopos ordinarios *ordinarios* adpellare ſoleamus.

Corol. 2. Ex ſtabilita ordinaria epiſcoporum poteſtate rurſus conſequitur falſum eſſe decretaliſtarum axioma: Pontificem eſſe ordinarium ordinariorum, habereque jus concurrentis jurisdictionis & præventionis. Ultra jus enim ſupplendi (§. 89.) ſe poteſtas ejus haud exporrigit.

§. 157. Is, cujus poteſtas in regenda eccleſia particulari ordinaria eſt, noſſe debet, quidnam illi expediat, utileque ſit. Ac proin, cum epiſcopi in ſuis diœceſibus ſint ordinarii, (§. 156. corol. 1.) jus habent leges Pontificis diſciplinares examinandi, an eccleſiæ illorum neceſſariæ, utilesve ſint, & ſi ſecus fuerit, interveniendi, ne recipiantur. Secus enim, ſi leges eccleſiis particularibus noxiæ recipi deberent, primatus in deſtructionem, non ædificationem fuiſſet inſtitutus, & poteſtas epiſcoporum per primatum rurſus deſtrueretur, quod ſapientiæ Chriſti repugnat. (§. 55.)

Schol. Vide §. 85. cum ejus Scholio.

§. 158. *Poteſtas epiſcoporum originaria ſe ad omnes diœceſeos exporrigit perſonas.* Paulus Act. 20. cap. conſtitutos a ſe Epheſi epiſcopos de eorum paſcendi munere admonens, ait: Attendite vobis, & *univerſo* gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit regere eccleſiam Dei. Quod ſi autem oves aliquas ex grege demas, jam non fuiſſent poſiti regere univerſum gregem, ſed *partem* ejus. Jurisdictio igitur epiſcoporum originaria ad omnes ſe exporrigit diœceſeos perſonas.

Corol. Proin jus epiſcoporum circa hoc eſt in præſumptione fundatum, omnibusque, qui exemptionem a juriſdictione epiſcopali prætendunt, onus probandi incumbit, ſecus in dubio pro epiſcopo eſt decidendum.

Schol. Canon quartus conc. chalced. expreſſe jubet, ut monachi per unamquamque regionem, & civitatem epiſcopo ſint ſubjecti; atque adeo exemptio illorum antiquitus quid inauditum fuerat. Notabile eſt oraculum S. Bernardi in tract. de moribus & officiis epiſcop. cap. 9. *Miror quosdam in noſtro ordine monaſteriorum Abbates hanc humilitatis regulam odioſa contentione infringere, & ſub humili, quod pejus eſt, habitu & tonſura tam ſuperbe ſapere, ut quum ne unum quidem verbulum de ſuis imperiis ſubditos ſuos prætergredi patiantur, ipſi propriis contemnant obedire epiſcopis. Spoliant eccleſias, ut emancipentur. Redimunt ſe, ne obediant. Non ita Chriſtus. Ille ſiquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam, qua iſti ut careant, totum fere ſuum, ſuorumque victum expendunt. Quid hoc eſt præſumptionis, o monachi! neque enim quia prælati monachis, ideo non monachi.* Ad Eugenium Pont. vero idem Bernardus libr. 3. conſid. cap. 4. ſcribit: Indignum eſſe eccleſias inferioribus ſubtrahere, & ſedi apoſtolicæ immediate ſubjicere, nullum eſſe bonum exemptionum fructum, nec eſſe conformes voluntati fundatorum. Easdem querelas contra exemptiones movebant Petrus Blaldenſis, & Joannes Sarisburienſis. Vixerunt hi ſeculo undecimo, & ante illos nullæ contra exemptiones occurrunt querelæ, indicium haud obſcurum, eas vel ſeculo undecimo primo fuiſſe ortas, aut ſaltem plus juſto multiplicatas. Seculo dein decimotertio adtendentes fundatores fratrum mendicantium, quantas hæc privilegia turbationes in eccleſia, & recte ſentientium querelas excitabant, ab iis abſtinendum judicarunt, atque fra-

Digitized by Google

fratres ſuos ſubjici epiſcopis voluerunt. Quam alienus ab exemptionibus fuerit S. Franciſcus de Aſſiſio oſtendit piiſſimum ejus teſtamentum, in quo hoc monitum fratribus ſuis dedit: *Præcipio firmiter fratribus univerſis per obedientiam, quod ubicunque ſint, non audeant petere aliquam litteram in curia romana, adeoque neque literas exemptionis*; Et iterum: *Hoc meum, & fratrum meorum eſt privilegium, nullum habere privilegium ſuper terram, ſed omnibus obedire, & inferiores nos omnibus reputare*. Sed poſtmodum moniti hujus quaſi oblitus frater Elias ſenſim effecit privilegia contra jura epiſcoporum; quodque cum ſuis aſſeclis hic in ordine S. Franciſci effecit, ſenſim in ceteris mendicantibus ordinibus obtinuit. Cum autem hæc privilegia ultra monaſticam ac domeſticam diſciplinam ad functiones hierarchicas, ipſi extenderent, atque in his ſe ab epiſcopali autoritate exemptos putarent, innumeræ contentiones exortæ ſunt. In duobus quidem conciliis lateranenſibus ſub Alexandro III. & Innocentio III, & poſtea in concilio viennenſi initio ſeculi decimiquarti de revocandis exemptionibus, reſtituendoque epiſcopis vetere in monachos jure actum fuit, ſed adeo incaſſum, ut conventus Prælatorum a Paulo III. congregatus ad colligendos abuſus in ſynodo dein reformandos ita conqueſtus ſit: *Alius abuſus magnus & minime tolerandus, quo univerſus populus chriſtianus ſcandalizatur, eſt ex impedimentis, quæ inferuntur epiſcopis in gubernatione ſuarum ovium, maxime in puniendis ſceleſtis, & corrigendis. Nam primo multis viis eximunt ſe mali homines præſertim clerici a juriſdictione ſui ordinarii. Deinde ſi ſunt exempti, confugiunt ſtatim ad pœnitentiariam, vel ad datariam, ubi confeſtim inveniunt viam impunitati, & quod pejus eſt, ob præſtitam pecuniam. Tollantur hæ maculæ, quibus ſi daretur aditus in quacunque hominum republica, aut regno, confeſtim, aut paulo poſt in præceps rueret, nulloque pacto diutius conſtare poſſet, & tamen putamus nobis licere, ut per nos in chriſtianam rempublicam inducantur hæc monſtra*. Propterea Germaniæ Principes & Epiſcopi vota ſua ſynodo Tridentinæ obtulerunt revocandas eſſe omnes exemptiones contra jura communia paſſim conceſſas, monaſteriaque omnia ſub epiſcopi poteſtate conſtituenda, in cujus ſunt diœceſi. Licet autem ſynodus attenta temporum ratione noluerit omnes exemptiones, ut Germani petebant, revocare, tamen, ut via quadam media res complanaretur, conceſſum eſt epiſcopis, ut ſaltem qua *Sedis apoſtolicæ delegati* juriſdictionem in exemptos exercere valeant, qua illis ſanctione non tam nova poteſtas eſt conceſſa, quam impedimentum originariam ſuam poteſtatem exercendi eſt remotum.

§. 159. Qui habet jus & obligationem ad finem, etiam jus ad media habere debet. Epiſcopi omnes diœceſeos ſuæ perſonas paſcere debent. (§. 158.) Hoc cum ſoli peragere non poſſint, ultro conſequitur: illis jus eſſe coadjutores ſacri ſui miniſterii inſtituendi, illiſque per ordinationem poteſtatem ad curam animarum neceſſariam conferendi. Pars illa diœceſeos, in qua epiſcopus presbyteris curam animarum committit, parochia, aut *beneficium curatum* adpellatur.

Schol. Non omnia beneficia cum cura animarum eſſe connexa, ſuo loco dicetur, atque ideo in definitione dictum fuit beneficium *curatum*.

§. 160. Jus ad unum ex duobus connexis tribuit jus ad alterum connexorum. Antiquitus collatio ordinum a collatione beneficii ſejuncta non fuit, nemo enim ordinabatur, niſi adeſſet beneficium, ad quod ordinari potuerat. Cum itaque jus conferendi ordines epiſcopis competat, (§. 159.) etiam collationem beneficiorum in diœceſi exiſtentium ad illos tunc pertinuiſſe intelligitur.

Corol. Ex analogia facile deducitur, etiam nova beneficia ſine epiſcopi autoritate erigi haud potuiſſe.

§. 161. *Etiam poſt ſeparatam ab ordinatione beneficiorum collationem jus beneficia in diœceſi exiſtentia conferendi de Jure communi epiſcopis competit.* Ideo clericorum ordinatio epiſcopo eſt conceſſa, quia ii per ordinationem eliguntur eccleſiæ miniſtri, qui una cum epiſcopo ſub ejus directione, & ſubordinatione laborent; naturale autem eſt, miniſtros eligi ab eo, cui principale, & præci-

mum regimen incumbit. Jam vero collatione beneficiorum non ſecus, ac ordinatione clerici functionibus ſacris adplicantur, proin etiam hi ab eo, cui regimen principale incumbit, nominari debent. Intereſt enim multum epiſcopo, ut mores, doctrinam, & habilitatem eorum noſcat, quos in laboris & miniſterii ſui ſocios adhibet; quomodo vero noſcere poſſet, ſi ab aliis eidem obtrudantur?

Corol. 1. Ex quo adparet jus epiſcoporum in beneficiorum collatione eſſe favorabile, & qui epiſcopum ab hoc jure arcere vult, titulum probare debet, ſecus in dubio pro epiſcopo decidendum.

Corol. 2 Erecto novo beneficio, ejusdem collatio ad epiſcopum pertinet, ſemperque pro eo præſumitur tamdiu, donec non ex ipſa novi beneficii erectione, aut aliunde probetur, illius collationem aut præſentationem alicui eſſe ſpecialiter delegatam.

Schol. Etſi de jure communi collatio beneficiorum in diœceſi exiſtentium ad epiſcopum pertineat, tamen eo ex tempore, ex quo per expectativas, reſervationes pontificias, & jura patronatus originario huic epiſcoporum juri vulnus eſt inflictum, (de quibus ſuo loco agetur) attendendus eſt uſus ſingularum eccleſiarum. Interim cum ſemper a Patrum inſtitutis alienum videbatur, ut quidam ſe in eccleſiæ miniſteria ſine epiſcopi conſenſu intrudant, etiam viſum eſt epiſcopo ſemper aliquam circa collationem beneficiorum autoritatem conſervare, tametſi libera eorum collatio ad alios ſit devoluta, quæ in eo ſita eſt, ut poſſit beneficiatum examinare, ei curam animarum committere, aut eos inſtituere, ſeu titulum conferre.

§. 162. Ejus, cujus eſt adtendere gregi ſuo, eſt etiam reprimere errores, aut iis præcavere, diſciplinamque corrigere. Epiſcopi debent adtendere gregi ſuo, & eccleſiam ſuam regere, (§. 158.) erit itaque eorum obligatio invigilandi, ne errores aut vitia in diœceſi emergant. Hoc fieri nequit, niſi oves ſuas noſcant. (§. 95.) Ad oves vero noſcendas, cum neceſſe ſit viſitare diœceſim, ſatis intelligitur, jus viſitandi diœceſim integram ad jura & obligationes epiſcoporum pertinere.

Corol. Cum jus viſitandi in munere paſcendi ſit ſitum, liquet, cur Trident. omnium viſitationum eum eſſe voluerit ſcopum, ut ſana orthodoxaque doctrina expulſis hæreſibus inducatur, boni mores tueantur, pravi corrigantur, populus cohortationibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendatur, cetera prout locus & occaſio fert, ex viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituantur. Seſſ. 24. cap. 3. de reform.

§. 163. Obligatio viſitandi ſub munere paſcendi continetur. (§. 162.) Cum itaque is, qui raro tantum viſitaret, obligationi paſcendi non ſatisfaceret, voluit ſynodus Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. de reform.: *Ut Patriarchæ & Primates, Metropolitani, & Epiſcopi propriam diœceſim per ſeipſos, aut ſi legitime impediti fuerint, per ſuum generalem vicarium, aut viſitatorem, ſi quotannis totam propter ejus latitudinem viſitare non poterunt, ſaltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per ſe, vel viſitatores ſuos compleatur, viſitare non prætermittant.*

Schol. 1. Etſi Trid. intra annum viſitationem determinet, tamen Card. de Luca diſcurſu quinto ad conc. Trid. advertit: terminum unius anni, aut ſaltem biennii, etſi ex præcepto ſtatutus videatur, ne id negligi valeat, non adeo *taxativum* eſſe, ut intra breviorem terminum, quando epiſcopus opportunum vel ſalubre credit, viſitare non poſſit, præſertim cum præcepto divino mandatum ſit oves ſuas agnoſcere, (§. 95.) & contingere poſſit, ut ad agnoſcendas oves frequentiores viſitationes, quam annuæ requirantur.

Schol. 2. Quia epiſcopi in viſitatione ſumptus erogare debent, conceſſit ſynodus Trid. pro ſe, & ſuo modeſto comitatu procurationes de his, quibus id incumbit de jure, exigere, vel victualia recipere, relinquendo tamen in optione eorum, qui viſitantur, ſi malint ſolvere id, quod erat illis antea ſolvendum, certa pecunia taxata, an vero victualia ſub-

ſubminiſtrare. Si tamen epiſcopus judicaverit, circumſtantias ſæpius, quam ſemel per annum viſitationem exigere, (Schol. præc.) ne conqueri poſſent paſtores inferiores, & populus fidelis, ſi ſæpius procurationes ſolvere deberent, congregatio Cardinal. conc. Trid. Interpretum anno 1737. decidit: epiſcopo bis aut ſæpius eodem anno diœceſim viſitanti unicam tantum deberi procurationem.

§. 164. Chriſtus apoſtolis poteſtatem legiſlativam & judiciariam conceſſit. (§. 52.) Hæc poteſtas ad epiſcopos eorum ſucceſſores quidem tranſit, (§. 153.) at quoniam forma imperii eccleſiaſtici eſt ariſtocratica, (§. 56.) negotia totam eccleſiam concernentia non ab uno, alterove epiſcopo, ſed ab omnibus ſunt terminanda. Epiſcopi in uno loco ad decidenda negotia totius eccleſiæ congregati, concilium conſtituunt, (§. 15. proleg.) in quo cum legiſlatores, & judices agant, vota eorum erunt *deciſiva*.

Schol. Conſuetudine introductum eſt, ut præter epiſcopos etiam alii, quos Chriſtus judices & legiſlatores non conſtituit, in conciliis voto gaudeant deciſivo, uti ſunt Cardinales nonepiſcopi, Abbates regularium, ordinumque religioſorum Generales.

§. 165. Apoſtolorum poteſtas in eſſentiali paſcendi munere fuit æqualis, cum omnes ſimul & ſinguli in die Pentecoſtes Spiritum ſanctum acceperint. Atque inde eſt, quod quæſtionem de obſervantia legalium in concilio hieroſolymitano omnes ſimul tanquam judices æquales, ſalva Petri prærogativa ſuffragii, (§. 80.) deciderint. Quum itaque epiſcopi in apoſtolorum ſuccedant locum, (§. 15.) poteſtas eorum in determinandis cauſis totam eccleſiam concernentibus æqualis eſſe debet, ſalva tamen Pontificis prærogativa ſuffragii. (§. 80.)

§. 166. Epiſcoporum poteſtas eſſentialis eſt æqualis, (§. 165.) ergo ſi ad concilium conveniunt tanquam judices, (§. 164.) erunt Judices æquales. Judices æquales conſtituunt ſocietatem æqualem. In ſocietatibus æqualibus pluralitas votorum decidit (per dem. in jur. nat.). Vides itaque rationem, cur in conciliis ad votorum pluralitatem adtendatur.

§. 167. Etſi vero epiſcopi ſinguli negotia totam eccleſiam concernentia terminare haud valeant, (§. 164.) tamen quilibet in tota ſua diœceſi jurisdictionem exercere poteſt, (§. 158.) eamque poteſtate ſolida, ac ordinaria regit, (§. 156. corol. 1.) adeoque jure ſynodos diœceſanas convocandi, in iisque leges condendi gaudet.

Corol. Cum epiſcoporum jurisdictio ordinaria & originaria ſe ad omnes diœceſeos perſonas extendat, (§. 158.) leges diœceſanæ obligant omnes, ipſos etiam exemptos in materiis non exemptis, nec non in quibus ſubjiciuntur epiſcopis qua Sedis apoſtolicæ delegatis. (§. 158. in ſchol.)

Schol. Primis ſeculis frequentiores erant ſynodi diœceſanæ, ſeu epiſcoporum cum ſuo clero, vel ſenatu, quem presbyterium vocare ſolebant, conventus; nam primis temporibus (ut ait S. Hier.) communi conſilio epiſcoporum & presbyterorum res eccleſiæ adminiſtrabantur. Neque etiam primis ſeculis his conventibus certa tempora deſignata fuiſſe legimus, ſed quandocunque ardua quædam negotia occurrebant, epiſcopus ſenatum, ſeu presbyterium ſuum convocabat, ut ſimul ſuper negotiis deliberaretur. Labentibus vero ſeculis hæc ſynodorum celebratio bis in anno fieri cœpit, ereditumque fuit, duplicem hanc celebrationem ſufficere, eo quod canones ſynodum provincialem bis in anno celebrari juberent. Sed cum poſtea paulatim invaluerat, ut ſynodi provinciales ſemel duntaxat ſingulis annis haberi deberent, una quoque invaluit, ut ſynodi diœceſanæ ſemel annuatim haberentur. Et quidem ſynodus Lateranenſis ſub Innocentio III. hanc conſuetudinem adprobavit, nam jubens ſingulis annis celebrari ſynodum provincialem, una præcepit, ut ea, quæ ſtatuerint, faciant obſervari, publicaturi ea in epiſcopalibus ſynodis annuatim celebrandis. Poſt hoc concilii Lateranenſis decretum videmus in plerisque conciliis injunctum fuiſſe, ut conformiter ad illud ſynodi diœceſanæ ſingulis.

gulis annis ſemel haberentur, etſi in aliquibus eccleſiis coofuetudo bis eas annuatim celebrandi fuerit retenta. Quare etiam ſyoodus Trid. (licet frequentiorem ſynodorum celebrationem pro reformatiooe morum deſideret) nihilominus amplexa moderatiooem concilii Lateraoeoſis annuatim tantum harum ſynodorum celebrationem injuoxit ſeſſ. 24. cap. 6. de reformatio au Deſierunt quidem hodie in aliquibus locis ſynodi diœceſanæ, earum tamen vices *conſiſtoria* epiſcoporum ſupplent, quæ quaſi perpetuæ cuidam ſynodo æquivaleot.

§. 168. Qui jus habet ferendi leges, eidem jus competit connectendi cum actione injuſta malum tanquam motivum ab ea abſtinendi (§. 23.) ſeu puniendi. (§. 24.) Epiſcopis jus competit ferendi leges diœceſanas, (§. 167.) proin & transgreſſores eorum puniendi pœnis ſpiritualibus, quoniam ſecus leges forent imperfectæ * nullumque inter illas, & conſilium foret diſcrimen.

* (Germ) *Juris periti illam vocant* legem imperfectam, *in qua* ſanctio pœnalis *deeſt. Cum legislator jubet, dicitur: Fac ſicuti lex ait, ubi non -- ita -- Ubi deeſt pœna, dicitur ſolum: Fac ſicuti lex ait, ubi non -- ita non feciſti*. Cl. de Sonnenfels in poſit. polit. §. 147. *.

§. 169. Cum poſita poteſtate legislativa ponatur jus actiones ſubditorum cum legibus comparandi, iiſque adplicandi, vel poteſtas judicandi, (§. 21.) etiam epiſcopis in ſua diœceſi poteſtate legislativa pollentibus, (§. 167.) jus definiendi cauſas eccleſiaſticas in ſua diœceſi competere intelligitur.

Corol. 1. Cum poteſtas judicaodi eoſdem cum jure determinandi limites habeat, (§. 22.) jus determinandi vero determinationes dogmaticas & diſciplinares ſub ſe comprehendat, (§. 17. corol.) liquet originariam epiſcoporum poteſtatem judicandi ſe ultra hos limites noo extendere.

Corol. 2. Quod ſi itaque epiſcopi in ſuis diœceſibus decidant cauſas ſtatum civilem concernentes, id non nomine proprio, ſed tanquam judices delegati Imperaotis civilis faciunt.

Corol. 3. Et quia poteſtas civilis a ſacra eſt independens, (§. 41. & 49.) Pontifex epiſcopum ex conſenſu Principis in ſuis conſiſtoriis cauſas civiles decidentem impedire nequit.

§. 170. Epiſcoporum jus & obligatio eſt attendere univerſo gregi, in quo eos Spiritus ſanctus poſuit regere eccleſiam Dei. (§. 158.) Qui jus & obligationem habet ſalutem gregis ſui procurandi tanquam paſtor primarius a Deo ipſo poſitus, jus habere debet ad media ad hunc finem neceſſaria. Quotiescunque igitur neceſſitas, aut ſalus & utilitas gregis diſpenſationem in legibus conciliorum generalium expoſtulat, toties id epiſcopos facere poſſe concluditur.

Schol. Nulla eſt contradictio jus diſpenſandi in caoonibus conciliorum generalium inter jura primatus eſſentialia pooere, (§. 91.) & idem jus epiſcopis coocedere; nam epiſcopi ſolum perſonas ſuæ diœceſeos diſpenſare poſſunt, contra poteſtas Pontificis hoc in negotio ad totam ſe exporrigit eccleſiam. Dein Pontifici ſemper in tuto manet jus ſupremæ inſpectionis ad corrigendos, ſi qui irrepſerint, epiſcoporum in diſpenſando exceſſus.

§. 171. Præter jura hactenus recenſita epiſcopi alias habent prærogativas accesſorias, uti jus habendi *ſolium*, aut *thronum*, jus *mitræ*, *pedi* & *annuli paſtoralis*, *crucis pectoralis*, *chirotecarum*, *tunicellæ*, *ſandaliorum*. Variis quoque inſigniuntur titulis, perſonis *illuſtribus* accenſentur, & quandoque etiam muneribus civilibus funguntur.

AD-

Digitized by Google

ADPLICATIO CAPITIS QUINTI
AD GERMANIAM.

§. 172. Epiſcopi de jure eccleſiaſtico publico univerſali poteſtatem civilem nullam habent (§. 41.) eorumque jurisdictio originaria ſe ad omnes diœceſeos exporrigit perſonas; (§. 158.) at epiſcopis Germaniæ primo præter poteſtatem ſacram competit etiam civilis, quam *ſuperioritatem territorialem* vocant; ſecundo eorum jurisdictio in ſubditos proteſtanticos ſuſpenſa eſt in pace religioſa, (§. 44. prol.) primum quoad aliqua ſolum capita, ac demum penitus in pace VVeſtphalica. (§. 46. prol.) tribus ſolum caſibus exceptis. Proin duobus in punctis quoad epiſcopos contra jus eccleſiaſticum univerſale Germania fecit exceptiones. Quoniam vero ibi, ubi contra jus univerſale fiunt exceptiones, jus conſtituitur particulare, infertur: in Germaniæ epiſcopis jure eccleſiaſtico particulari Germaniæ duo puncta ceteris epiſcopis haud communia conſiderari debere.

§. 173. Epiſcopos Germaniæ poteſtatem accepiſſe civilem eſt res facti. Facta probari nequeunt, niſi ex teſtibus aut circumſtantiis, (§. 21. proleg.) ex hiſtoria itaque eſt evolvendum, qua ratione factum ſit, ut illis ſuperioritas territorialis ſit conceſſa.

§. 174. *Myſtagogi*, vel Μυςαγογοι ſunt ii, qui ſecretiora religionis tractant negotia. Ita etiam miniſtri religionis Germanorum adhuc ethnicorum adpellabantur.

§. 175. Germani veteres adhuc ethnici myſtagogorum ſuorum, (§. 174.) teſte Tacito, erant obſervantiſſimi, eandemque propenſionem poſtea in epiſcopos, a quibus veram fidem ſunt edocti, transtulere. Reges porro eorum ac Principes cum noſſent, religionem regni fulcrum eſſe, neque religionem diu ſtare poſſe, niſi miniſtris ejus honor & autoritas concilietur, ſtudioſiſſimi erant, ut & opes augeantur epiſcoporum, & munerum civilium admininiſtratione autoritas eorum creſcat.

§. 176. Quare tempore Imperatorum Carolingicorum jam pleraque officia publica, militaribus exceptis, ab epiſcopis & clericis fuerant occupata, qui quidem tunc temporis fere ſoli ſcientiis vacabant. In re autem judiciaria eo etiam epiſcoporum poteſtas venit, ut quoties pars litigantium voluerit, cauſam a judice civili ad forum & tribunal epiſcopi transferre potuerit: Acceſſerunt his jura regalia epiſcopis ab Imperantibus conceſſa, nimirum in prædiis eorum jurisdicendi poteſtas, jus monetæ, quin & jus gladii &c. Ac quamvis diu ſub advocatis tutelaribus, & vicedominis erant, per quos omnis eorum exercebatur jurisdictio, poſtea tamen ſe etiam ab his quovis demum modo ſeu pecuniis, ſeu alio titulo gratioſo liberarunt.

§. 177. Atque ita epiſcopi Germaniæ in Principes imperii eveſere, adeptique ſunt ſuperioritatem territorialem. Quin dum poteſtas eligendi Imperatorem ad ſeptem eſt devoluta Principes, hos inter etiam Archiepiſcopi Moguntinus, Colonienſis, & Trevirenſis numerabantur, quod jus iis in aurea bulla a Carolo IV. eſt ſtabilitum, & quidem ita, ut ſi Electores electionis cæſareæ cauſa conveniunt, cum ibi ordo linealis obſervetur, hi tres Electores eccleſiaſtici ſint primi. In ſuffragio quidem ferendo Trevirenſis Colonienſem ſemper præcedit, in ſubſcribendo tamen, ſigillando aliisque actibus ſolennibus alternant ita, ut actum primum inchoet Trevirenſis. Directorium autem collegii electoralis Moguntinus tenet.

§. 178.

§. 178. Inſuper Electores eccleſiaſtici ſunt Archicancellarii imperii, & quidem Moguntinus eſt archicancellarius per Germaniam, qui ſuum in aula cæſarea habet procancellarium; Colonienſis per Italiam, & Trevirenſis per Galliam & regnum Arelatenſe.

Schol. Etiam Auguſta, quia honorum maritii eſt particeps, ſuos habet archiofficiales, cujus archicancellarius eſt epiſcopus Fuldenſis.

§. 179. Cum autoritas epiſcoporum Germaniæ per dignitates civiles creviſſet, ea ex altera parte rurſus eſt diminuta, dum jurisdictio eorum eccleſiaſtica in Proteſtantes primo in pace religioſa quoad aliqua ſolum capita, ac demum penitus in pace VVeſtphalica eſt ſuſpenſa, tribus ſolummodo caſibus exceptis. (§. 172.)

§. 180. Primus caſus exceptus in Inſtr. pacis Osnabr. Art. 5. §. 48. ita ſonat: *Ad conſequendos tamen reditus, cenſus, decimas & penſiones in iis Auguſtanæ confeſſionis ſtatuum ditionibus, ubi catholici anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto in poſſeſſione vel quaſi exercitii jurisdictionis eccleſiaſticæ fuerunt, utantur eadem poſthac quoque, ſed non niſi in exigendis hiſce penſionibus, nec procedatur ad excommunicationem, niſi poſt trinam demum denunciationem catholicorum.*

Corol. Cum juriſdictio epiſcoporum in Proteſtantes ad annum 1624 regulanda ſit, recte is annus *normalis*, & *regulativus* adpellatur.

Schol. Uberiores rationes, cur annus prædictus annus *normalis* adpelletur, ſuo loco dabuntur.

§. 181. *Excommunicationis pœna, qua epiſcopi in Proteſtantes animadvertere poſſunt,* (§. 180.) *non eſt inanis & abſque effectu.* Etſi enim Proteſtantes in *ſenſu theologico* a communione ſacrorum alioquin ſint ſeparati, atque adeo etſi ex hoc capite pœna excommunicationis ab epiſcopis in Proteſtantes lata inanis foret, tamen cum exercitium religionis proteſtanticæ legibus imperii fundamentalibus ſit permiſſum, (§. 44. & 46. proleg.) illi in *ſenſu juridico* excommunicati haud ſunt. Quod ſi vero ab epiſcopis ob denegatas, aut non præſtitas penſiones, quas vi pacis VVeſtphalicæ præſtare tenentur, (§. 180.) excommunicarentur, tum in *ſenſu juridico* eſſent excommunicati. Atqui excommunicatio theologica ſolum in privatione ſacrorum conſiſtit, (§. 32.) excommunicatio vero in ſenſu juridico ex Principum conſenſu etiam effectus civiles poſt ſe trahit, (§. 33.) itaque ſi ab epiſcopis excommunicarentur, excommunicationi theologicæ etiam juridica, & cum illa effectus civiles accederent, quod inane, & fruſtraneum non eſt.

Schol. Ipſi Proteſtantes ultro vocem *excommunicationis* elegerunt, eamque ſubſtitui maluerunt voci *executionis*, quæ in cit. §. pacis Osnabr. jam fuerat poſita.

§. 182. Alter caſus exceptus in §. cit. pacis VVeſtph. ita ſonat: *Auguſtanæ confeſſioni addicti Status provinciales, & ſubditi, qui anno 1624. eccleſiaſticam jurisdictionem agnoverunt, iis in caſibus modo jurisdictioni dictæ ſubſint, qui Auguſtanam confeſſionem nullatenus concernunt, modo ipſis occaſione proceſſus nihil injungatur Auguſtanæ confeſſioni, vel conſcientiæ repugnans,* cui mox caſus tertius his verbis ſubjungitur: *Eodem etiam jure Auguſtanæ confeſſionis magiſtratuum catholici ſubditi cenſeantur, inque hos, qui anno 1624. publicum religionis catholicæ exercitium habuerunt, jus diæceſanum, quatenus epiſcopi illud dicto anno quiete in eos exercuerunt, ſalvum eſto.*

§. 183. In pace VVeſtphalica quædam bona eccleſiaſtica Proteſtantibus ſunt permiſſa, (§. 48. Schol. proleg.) ad quæ etiam pertinent epiſcopatus *Osnabrugen-*

gen-

genſis, & *Lubecenſis*, quorum prior alternatim a catholico, & proteſtantico, alter vero perpetuo a proteſtantico poſſidetur. I. P. O. Art. 13. §. 1.

§. 184. Epiſcopi præter poteſtatem ſuam eſſentialem etiam gaudent juribus ſtatus & dignitatis, (§. 171.) ſimulque epiſcopi Germaniæ ſunt Principes imperii. (§. 177.) Cum itaque etiam Proteſtantes ad epiſcopatus aſſumantur, (§. 183.) conventum eſt circa illos in P. VV. Art. 5. §. 22. *Ut abſque præjudicio ſtatus & dignitatis, titulis electorum, aut poſtulatorum in Archiepiſcopum, Abbatem, Præpoſitum inſigniantur, ſeſſionem autem in ſcamno inter eccleſiaſticos & ſeculares intermedio, & transverſo capiant.*

Schol. Duo antehac erant Principum imperii ſcamna, eccleſiaſticum unum, quod claudunt illi, qui in ſubdiviſis Prælatorum ſcamnis *Suecico* videlicet, & *Rhenano* ſedent, alterum ſeculare, quod quatuor ſcamnis *Weteravico* videlicet, *Suecico*, *Franconio*, & *Weſtphalico* ſubdiviſis abſolvitur. Cum vero Principes eccleſiaſtici catholici noluiſſent Principibus eccleſiaſticis Aug. Conf in ſuo ſcamno locum dare, quia ſacra conſecratione carent, in ſcamno vero Principum ſecularium ipſi poſtremo ſedere loco renuerent, poſt multas tandem diſputationes adſignatum eſt illis ſcamnum tranſverſum retento nihilominus priſtino votorum ordine.

§. 185. Epiſcopi debent confirmari, quod jus hodie ad jura primatus accidentalia pertinet, (§. 93.) & etiam in concordatis Germaniæ (§. 33. proleg.) Pontifici eſt conceſſum. Inſuper epiſcopi vi eorundem concordatorum Pontifici annatas, ſeu ſervitium commune, & Archiepiſcopi etiam pro pallio ſolvere debent. (§. 150. Schol. 3.) Epiſcopi tamen Aug. Conf. addicti confirmatione non indigent, ſed per I. P. O. Art. 5. §. 21. *a ſacra cæſarea Majeſtate, poſtquam intra annum electionis, aut poſtulationis ſuæ fidem fecerint, & juramenta regalibus conſueta feudis præſtiterint, abſque ulla exceptione inveſtiantur*, ac proin, cum confirmatione pontificia haud indigere voluerint, eidem exactiones annatarum, & jurium pallii ſolvere recuſabant. Ne autem deterioris hoc in puncto epiſcopi catholici eſſent conditionis, in §. cit. P. O. eſt ſtatutum, *ut A. C. epiſcopi ultra taxæ ordinariæ ſummam inſuper ejus dimidium pro infeudatione pendant.*

Schol. Proteſtantium epiſcopos non ad *munus epiſcopale*, quia ordine carent, ſed potius ad epiſcopatum, ejuſque reditus percipiendos eligi, ſatis patet, ne ipſis quidem contradicentibus. Dum vero in epiſcopatu Oſnabrugenſi eſt epiſcopus proteſtanticus, (§. 183.) ſubditi ejus catholici in ſpiritualibus Archiepiſcopo Colonienſi qua Metropolitano ſubſunt.

CAPUT SEXTUM.

De Epiſcopis titularibus & coadjutoribus Epiſcoporum.

§. 186. Epiſcopi titulares dicuntur ii, qui ordinantur ad epiſcopatus extinctos, quibus proin nulla eccleſia, & nullus populus regendus tribuitur, ſed nudum eccleſiæ extinctæ titulum tenentes in conſecratione characterem accipiunt epiſcopalem.

§. 187. *Epiſcopos titulares vetus eccleſia ignorabat.* Epiſcopi titulares carent eccleſia & populo, (§. 186.) atqui in antiqua eccleſia collatio ordinum a collatione beneficii ſejuncta non fuit, (§. 160.) ergo in eccleſia antiqua epiſcopi ſine eccleſia, ſeu epiſcopi titulares non dabantur.

Corol. Cum ex hiſtoria eccleſiaſtica pateat, collationem ordinnm ſeculo decimo a collatione beneficii ſeparatam fuiſſe, legitime concluditur, per decem ſecula nullos epiſcopos titulares hodiernis ſimiles exſtitiſſe.

Schol. Non quidem ignoro, interdum in antiqua

tiqua etiam eccleſia in extraordinariis occaſionibus factum fuiſſe, ut quidam ordinati ſint, quin miniſterio cujuſdam eccleſiæ adplicabantur, ut Paulinus de ſe ipſo teſtatur epiſt. 6. ad Sever. & S. Hier. qui ea conditione ſe in presbyterum ordinatum fuiſſe narrat, ut ei porro monachum eſſe, & ad monaſterium reverti liceret, immo etiam conſtat fuiſſe aliquos monachos epiſcopos ſolum honoris cauſa; verum hi epiſcopi monaſtici plurimum differunt a noſtris titularibus, qui ad epiſcopatus extinctos in partibus infidelium ordinantur.

§. 188. *Origo epiſcoporum titularium a ſæculo decimotertio eſt repetenda*. Ex eo enim tempore, ex quo Latini Saracenis quaſdam orientis provincias eripuerunt, etiam epiſcopatus ibi partim veteres reſuſcitati, partim novi erecti fuere. Pulſis autem denuo Latinis nil niſi ſpes easdem terras, eosdemque epiſcopatus recuperandi remanſit, cujus ſpei gratia epiſcopatuum illorum vacante aliquo epiſcopos nominare, eosque epiſcopos *in partibus infidelium* adpellare in hanc diem uſque pergebant.

Corol. Primarius ergo conſervationis epiſcoporum in partibus finis eſt, ut ſupereſſet monumentum juris tum eccleſiaſtici tum imperatorii in urbes a Saracenis ereptas.

Schol. Alter epiſcoporum in partibus finis eſt, ut poſſint ordinari epiſcopi ſine epiſcopatibus, qui tanquam ſuffraganei paſtoralia expleant munera iis in diœceſibus, in quibus propter illorum latitudinem proprius epiſcopus aliena ope indiget. Hujuſmodi epiſcopos in partibus alunt hodie Electores eccleſiaſtici, (§. 177.) qui vices eorum gerunt in iis, quæ pertinent ad poteſtatem ordinis.

§. 189. Cum ſucceſſu temporis nonnulli epiſcopi titulares ad mendicitatem, & vitam vagantem dignitate ſua abuti cœpiſſent, vetuit Clemens V., ne poſtea tales ordinarentur epiſcopi ſine expreſſa Sedis romanæ licentia, atque ita horum epiſcoporum conſtitutio Pontifici eſt reſervata, neque Pontifex regulariter quemdam ordinare in animum inducit, niſi eos, qui alium quemdam epiſcopatum, aut adminiſtrationem ſaltem obtinent, ex cujus reditibus pro dignitate ſuſtententur. Modum vero in ordinandis epiſcopis titularibus hunc ſervat Papa, ut titulos Orientis patriarchales conferat legatis, nunciis aut aliis curiæ ſuæ Prælatis; epiſcopatuum vero Græcorum titulos tribuit iis, qui in Germania viciniſque ei regionibus epiſcoporum vice in Pontificalibus funguntur.

§. 190. Epiſcopus confirmatus & conſecratus cum ſua eccleſia conjugium quoddam ſpirituale contrahit, (§. 96.) ergo nec ipſe autoritate propria vinculum hoc ſolvere, (ibid.) nec abjici abſque cauſa juſta poteſt. Fac aliquem epiſcopum morbo, ſenio, aut alia cauſa ad munia epiſcopalia obeunda fieri inhabilem, adhuc juſta eum abjiciendi cauſa non aderit; his ergo ſub determinationibus neceſſe eſt, ut alius ei detur, qui vices ejus gerat. Is, qui epiſcopo morbo aut ſenio confecto ad vices ejus gerendas datur, olim *proepiſcopus* hodie *coadjutor* adpellatur. Quia vero fieri poteſt, ut coadjutor tamdiu tantum aſſumatur, donec epiſcopi impedimenta durant, vel in omne aſſumatur tempus, infertur: Coadjutores in *temporarios* ſine ſucceſſionis jure, & in *perpetuos* cum jure ſucceſſionis dividi debere.

§. 191. Canon octavus Concilii Nicæni primi vetat, ne una in urbe duo ſint epiſcopi, & ne eidem jus daretur ſuccedendi canon vigeſimustertius Concilii Antiocheni prohibet, quoniam ab omni ſucceſſione hæreditaria in beneficiis eccleſia ſemper abhorruit; ſi autem datur coadjutor perpetuus, duo in una urbe ſunt epiſcopi, nec non jus ſuccedendi habetur, (§. 190.) liquet itaque, quid in antiqua eccleſia in aſſumendis coadjutoribus obſervandum fuerat.

Schol. Non deſunt tamen exempla in veteri eccleſia, in quibus quædam adverſus hanc diſciplinam ſunt commiſſa, ſiquidem circa initium ſeculi tertii Narciſſus Hieroſolymitanus

Digitized by Google

nus plus centum annos natus Alexandrum Cappadociæ epiſcopum coadjutorem ſibi & ſucceſſorem aſſumpſit. Seculo dein quarto Valerius Hipponenſis epiſcopus impetravit, ut Auguſtinus ſe ſuperſtite epiſcopus conſecraretur, ſibique & coadjutor, & ſucceſſor daretur, ac generatim invaluit in eccleſiis Africæ, ut ſibi crebro epiſcopi nominarent ſucceſſores, clero & populo conſentiente. Quamvis vero hæc conſuetudo ad ſucceſſiones hæreditarias viam aperiret in eccleſia, nihilominus poſcentibus ita temporum adjunctis juſta erat ejuſmodi diſciplina propterea, quod tunc temporis plerumque magnæ turbæ, & diſſenſiones excitarentur in eccleſiis vacantibus, hominesque hæretici, ut Donatiſtæ, Novatiani, Ariani, aliique ſeſe in eccleſias vacantes, præſertim reditibus & prærogativis celebres irrepere attentarent.

§. 192. Quia deſignare coadjutorem cum jure ſuccedendi in effectu idem eſt, ac deſignare epiſcopum, relinquitur, ut is jure deſignandi coadjutorem polleat, qui præditus eſt jure deſignandi epiſcopum.

Corol. 1. In Germania vi concordatorum (ut ſuo loco dicetur) epiſcoporum electio capitulis competit cathedralibus, ac proin etiam coadjutorum cum ſuccedendi jure deſignatio.

Corol. 2. Cum epiſcopus ipſe jus deſignandi ſuum ſucceſſorem non habeat, conſenſus illius ad dandum coadjutorem non eſt abſolute neceſſarius, ſaltem tunc, ubi non ad adjuvandum, ſed ad ſuccedendum datur.

§. 193. Jura, & prærogativæ coadjutorum ſunt hæc: 1) Gaudent in ſua eccleſia eadem proedria, qua adjutus. 2) Dum adjutus impeditur, nequit functiones alteri, quam coadjutori delegare. 3) Coadjutori debentur alimenta congrua ex proventibus eccleſiæ, cui datus eſt; nequit tamen 4) coadjutor ſe immiſcere in exercitio *pontificalium*, aut *jurisdictionalium*, quibus perfungi poteſt, & vult ipſe epiſcopus &c.

CAPUT SEPTIMUM.

De Canonicis, & Capitulis Cathedralibus.

§. 194. Jam inde ab eccleſiæ primordiis epiſcopi ſua habebant presbyteria, cujus opera & conſilio in rebus magni momenti uterentur; (§. 167. Schol.) ſiquidem primis naſcentis eccleſiæ ſeculis presbyteri & diaconi in urbe epiſcopali curam animarum gerentes unum quaſi corpus cum epiſcopo faciebant. Succeſſu temporis in hunc ſenatum eccleſiaſticum vitam communem introducere cœperunt Euſebius Vercellenſis, & S. Auguſtinus; verum præter quasdam Africæ eccleſias non ad multas alias id inſtitutum pervenit.

§. 195. Poſt Chrodegangus Metenſium epiſcopus eccleſiæ ſuæ clerum ad vitam communem, & quaſi monaſticam induxit, quod inſtitutum paſſim amplexi ſunt epiſcopi. Quia vero tamen illud neque ab omnibus, neque quoad omnia capita obſervaretur, ut una poſthac eſſet omnium vivendi regula, in concilio Aquisgranenſi juſſu Ludovici Pii Imperatoris certa regula eſt confecta; quæ cum magna ex parte ex Chrodegangi regula conflata ſit, factum eſt, ut illius inſtitutum lege, & autoritate tum regia, tum eccleſiaſtica obſervari præciperetur.

§. 196. Clerici, qui Chrodegangi inſtitutum ſunt ſecuti, nomen *canonicorum* accepere, collegia vero eorum *capitula* ſunt adpellata, occaſionem præbentibus inſtitutis monaſticis, quæ Chrodegangi regula imitabatur. Nam monachi ſingulis diebus ad audiendum aliquod capitulum regulæ Benedictinæ certo in loco conveniebant, qui capitulum dicebatur. Inde autem invaluit, ut & cœtus canonicorum, quibus certis diebus ſimili ex cauſa conveniendum erat, *capitu-*

Digitized by Google

lum vocaretur. In eo tamen canonicorum vita communis a monaſtica differebat, quod paupertate haud quaquam fuerint ligati, poſſetque quisque ſuum retinere patrimonium.

§. 197. Placuit vita communis tam multis, ut omnes ad illam adſpirantes ad collegia eccleſiæ cathedralis ſuſcipi haud poſſent; quare plures eccleſiæ parochiales in collegia canonicorum mutabantur, quæ eſt origo eccleſiarum *collegiatarum*.

§. 198. Durabat hæc vivendi ratio ad ſeculum uſque decimum, quo non pauci, immo & integra collegia vitam communem abjecere, ad quam ſeculo undecimo reſtituendam cum Pontifices & epiſcopi exiſtimaſſent paupertatem, quam antea non habuerunt, (§. 196.) multum conferre poſſe, factum eſt alios canonicorum perſuaſos, alios etiam compulſos fuiſſe, ut non modo vitam communem reaſſumerent, ſed etiam paupertati ſe addicerent. Atque exinde duo velut canonicorum genera ſunt exorta, ſiquidem qui vitam communem, & paupertatem ſectabantur canonici *regulares*, ceteri vero *ſeculares* dicti ſunt.

§. 199. Vita communis reſtituta ultra ſeculum haud duravit, ſed illa rurſus abjecta, bona epiſcopi a bonis capituli ſejungi, corpus ab eo formari ſeparatum, nec non bona capituli inter ſe partiri cœperunt. Quo ex tempore etiam juribus particularibus præ cetero clero pedetentim inclaruere capitula cathedralia, dum ad eam denique devenerint, quam hodie habent, dignitatem.

§. 200. Epiſcopatus, ſeu Prælatura alias etiam *ſedes* vocatur, eritque *plena*, ſi de illa facta ſit canonica proviſio: *vacans*, ſi Prælatus prælaturæ quocunque modo præeſſe deſiit: & *impedita*, ſi ultra tres menſes juſta ex cauſa vacet.

§. 201. Status eſt complexus determinationum enti inexiſtentium. Sedis plenæ aliæ ſunt determinationes, quam vacantis, proin ſtatus ſedis eſt mutabilis. Quoniam vero diverſitas ſtatus diverſitatem jurium inducit, relinquitur: jura canonicorum pro diverſitate ſtatus ſedis debere eſſe diverſa.

Corol. Sedes impedita a ſede vacante in effectu non differt, (§. 200.) omnis itaque jurium capitulis cathedralibus competentium diverſitas a ſede plena aut vacante potiſſimum dependet.

§. 202. Sedi vacanti dandus eſt ſucceſſor. Is olim teſte hiſtoria a clero populoque eligebatur; at ſeculo decimotertio invaluit, ut excluſis reliquis a ſolis capitulis cathedralibus epiſcoporum electiones peragerentur. Etſi vero ab initio præter conſuetudinem, & mores nullum hujus juris fundamentum capitula habuerant; tamen demum decretis Pontificum & Imperatorum conſtitutionibus eſt illis ſtabilitum, id quod eſt primum jus capitulorum ſede vacante.

Schol. Nota tamen, quandoque poteſtatem ſede impedita majorem eſſe, quam ſede vacante, iis nimirum in negotiis, quæ ſine periculo ſalutis populi aut eccleſiæ differi nequeunt.

§. 203. Quia jam primis ſeculis presbyteri & diaconi in urbe epiſcopali unum quaſi corpus cum epiſcopo faciebant, (§. 194.) ab his vero canonicorum capitula ſuam traxere originem, (§. 196.) factum eſt, ut Pontifices in ſuis decretalibus illa tanquam corpus morale ſpectabant, cujus caput eſſet epiſcopus, & canonici membra (cap. 4. & 5. de his, quæ fiunt a Præl. ſine conſ. capit.,) quo poſito congruum putabatur, ut defuncto capite cetera membra regimen adminiſtrarent. Regimen itaque interimiſticum tum in ſpiritualibus, tum in tem-

temporalibus ſede vacante ad capitulorum jura, ab eo præſertim tempore, quo jus ſucceſſorem eligendi eſt illis datum, (§. 202.) numerari cœpit.

Schol. Electiones epiſcoporum Germaniæ capitulis in concordatis eſſe conceſſas, ſuo loco uberius exponetur.

Corol. Liquet itaque, capituli poteſtatem ſede vacante ſe ad omnia illa exporrigere, quæ ad ordinarium eccleſiæ regimen, ne populus inde detrimenti quid patiatur, nec non ad conſervandum epiſcopatus vacantis ſtatum ſunt neceſſaria.

Schol. Regimen interimiſticum in ſpiritualibus æque ac temporalibus quondam non penes ſola fuerat capitula. Nam cum ſeculo 4. Donatiſtæ aliique hæretici eccleſiis vacantibus inhiarent, (§. 191. Schol.) dati illis ſunt alii epiſcopi *interceſſores*, ſeu *interventores* dicti, qui & electioni ſucceſſoris præeſſent, & eccleſiam vacantem cum presbyterio juncta curarent. Poſtquam vero electio ſucceſſoris ad ſola capitula eſt devoluta, ſeſe ab interventoribus liberarunt, curaque eccleſiæ vacantis illis ſolis eſt relicta. Deinde cum *jure regaliæ* Imperatores reditus eccleſiæ vacantis ſibi vindicarent, *Miſſos dominicos* ſeu *regios* denominarunt, qui reditus vacantis eccleſiæ in fiſcum regium inferrent. Poſtquam vero jure regaliæ Imperatores ſe abdicaſſent, capitulis etiam adminiſtratio temporalium eſt relicta.

§. 204. Quæ epiſcopo ſunt perſonaliſſima, ad ea ſede vacante capitulorum poteſtas ſe extendere nequit. Ordo & character epiſcopalis eſt perſonaliſſimus, ac proin capitula ſede vacante ea, quæ ordinis ſunt, exercere non poſſunt.

Schol. Ex conc. Trid. lege ſeſſ. 7. cap. 10. de reform. Capitula infra annum a die vacationis ne quidem ordinandi licentiam, aut literas dimiſſorias alicui, qui beneficii eccleſiaſtici recepti, aut recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere valent.

§. 205. Jura ſtatus & dignitatis epiſcopis competentia (§. 171.) ſunt illis perſonaliſſima; ergo nec in illis capitula ſuccedunt. (204.)

Corol. Munus legati, aut Sedis apoſtolicæ delegati ad jura pertinet dignitatis & ſplendoris epiſcopalis, ac proin capitula ſede vacante nihil de iis, quæ ad ejuſmodi munus pertinent, exercere valent.

§. 296. Beneficiorum in diœceſi exiſtentium collatio de jure communi ad epiſcopum pertinet, (§. 161.) quoniam onus omne, ſi indigni ad beneficia ponerentur, tandem in epiſcopum redundat, proin beneficiorum vacantium collatio ſede vacante capitulo non eſt permiſſa, exceptis iis, quorum collatio ad epiſcopum & capitulum ſimul pertinet.

§. Si ſedes ultra tres menſes juſta ex cauſa vacet, eſt impedita. (§. 200.) Cum vero ſedes impedita in effectu a vacante non differat, (§. 201. Corol.) ſedeque vacante beneficiorum collatio capitulo non competat, (§. 206.) regulariter neque ſede impedita competere deberet; at vero quoniam fieri poteſt, ut ſedes diu maneat impedita, eccleſiæ vacantes detrimentum paterentur, ſi per longius tempus paſtore carere deberent. Hinc cum capituli poteſtas ſede vacante ſe ad omnia exporrigat, quæ ad regimen eccleſiæ, ne populus detrimenti quid patiatur, ſunt neceſſaria, (§. 203. Corol.) liquet ſede diu impedita capitulis jus conferendi beneficia competere, etſi ſede vacante non competat.

Schol. Non ergo ſine ratione ſufficiente in Schol. ad §. 201. eſt adnotatum, capitulorum poteſtatem quandoque ſede impedita majorem eſſe, quam ſede vacante.

§. 208. Sede vacante jus eligendi epiſcopum capitulis competit. (§. 202.) Peracta electione & confirmatione ſedi datus eſt ſucceſſor, atque adeo evadit, plena, (§. 200.) tum itaque regimen interimiſticum capitulis competens, (§. 203.) ceſſet oportet.

§. 209. Etſi vero ſede plena regimen interimiſticum capituli ceſſet, (§. 208.) tamen ſicut quondam presbyterium, (§. 194.) ita nunc capitulum cathedrale ſenatus epiſcopi reputatur, unumque cum eo conſtituit corpus.

§. 210. Presbyterium antiquitus ita erat epiſcopi ſenatus, ut communi conſilio epiſcopi & presbyterorum negotia majoris momenti deciderentur. (§. 167. Schol.) Quum ergo capitula in presbyterii ſucceſſere locum, (§. 159.) decretales Pontificis jubent, ut aliis in negotiis *conſilium*, in aliis etiam *conſenſum* capituli ſui requirant epiſcopi. Porro pro criterio cognoſcendi, quibusnam in negotiis conſenſus ſit neceſſarius, (cum hoc ſit res facti a Pontificum decretis pendens) hæc aſſumatur propoſitio: *In omnibus illis negotiis conſenſus eſt neceſſarius, quæ per canones determinantur, non item in aliis.*

§. 211. Canones determinant, iis in negotiis conſenſum capituli eſſe neceſſarium, quæ ad jura, & *obligationes* totius epiſcopatus pertinent, & per quæ ſtatus eccleſiæ *immutatur*, uti ſunt alienationes, præſentationes, & collationes *communes*, beneficiorum uniones, & canonicorum inſtitutiones &c. Quoniam itaque illa ſolum negotia conſenſum capituli requirunt, quæ canones determinant, (§. 210.) intelligis, cetera totum epiſcopatum non adtinentia, neque ſtatum eccleſiæ immutantia, aut epiſcopi arbitrio relicta eſſe, aut ad ſummum, ſi juſta cauſa ſuadet, conſilium capituli requirere.

Schol. Plurimum tamen hac in re a particularium locorum conſuetudine, & moribus dependet.

§. 212. Capitula quidem ſede plena cum epiſcopo unum conſtituunt corpus, (§. 209.) at quoniam vita communi abjecta, bona epiſcopi, a bonis capituli ſejuncta fuere, (§. 199.) certis in negotiis tanquam collegium ab epiſcopo ſeparatum ſpectari poſſunt; atque inde eſt, quod gaudeant jure celebrandi conventus ſine epiſcopo, ſtatuendique de rebus ad capitulum pertinentibus.

Corol. Ad ſolennitates ſtatutorum pertinet, ut ſigillis muniantur. Inde infertur, capitula, ut corpus ſeparatum, ſigillo proprio gaudere.

Schol. Ut tamen valide, ac rite capitulum ſtatuta condat, neceſſe eſt, canonici omnes, qui jure ſuffragii gaudent, ut a capituli præſide convocentur, ubi habita antea deliberatione *majora*, ſi de juribus totius capituli, ſecus ſi de juribus ſingulorum agatur, *unanimia* concludunt vota

§. 213. Capitula de ſe tanquam collegium ſeparatum ſpectata, *Præpoſitos* habent, & *Decanos*, qui toti præſunt Canonicorum collegio. His originem dediſſe videntur inſtituta monaſtica, quæ regula Chrodegangi imitabatur. (§. 196.) Notum eſt enim ex hiſtoriis, & regulis Patrum, in pleriſque monachorum congregationibus præter Abbatem, & Præpoſitum etiam Decanos fuiſſe, quorum ſinguli ſub ſua cura decem habebant monachos, ad quorum imitationem etiam canonici conſtituere Præpoſitos & Decanos. Quia vero Præpoſiti ob curam temporalium curam ſpiritualem negligebant, & propterea a congregatione ſæpius abeſſe debebant, uſu receptum eſt, ut omnis inſpectio in canonicos Decanis competat, Præpoſitis alicubi etiam plane in deſuetudinem abeuntibus.

§. 214. Sunt præterea varia etiam officia, canonicis pro diverſitate negotiorum, quæ adminiſtrant, competentia. Nam is, qui canonicis, & aliis clericis inſtituendis, & docendis ad cantum in choro præpoſitus eſt, *Primicerius* ſeu *cantor*; cui vero cuſtodia propriæ canonicorum eccleſiæ, aut ſacrarii commendatur, *cuſtos*, aut *ſacriſta* adpellatur. Et cum vita communi canonicorum adhuc durante in eorum collegiis jam ſcholæ fuerant, in quibus pueri paulatim ad clericalem ſtatum formarentur, eæ etiam vita communi abjecta manſerunt,

isque

Digitized by Google

isque, qui earum curam ſuſcepit, *ſcholaſticus*, ſive interdum *ſcholarchus*, hoc eſt: ſcholæ præpoſitus nuncupatur.

Schol. In quibuſdam eccleſiis receptum eſt, ut cantor in præcipuis feſtivitatibus utatur baculo argenteo, quem baculum *cantoralem* vocant. Videtur hic baculus ſignum eſſe poteſtatis, quam habuit cantor irreverentes, & defectuoſos in divino officio puniendi.

ADPLICATIO CAPITIS SEPTIMI

AD GERMANIAM.

§. 215. Capitulis jus competit ſede vacante ex eorum gremio eligendi epiſcopum. (§. 202.) Epiſcopi Germaniæ ſunt ſimul Electores, aut Principes imperii, (§. 177.) itaque capitulis Germaniæ prærogativa competit Electores & Principes imperii eligendi.

§. 216. Dignitatis electoralis, aut Principatus in imperio non ſunt capaces, niſi nobilitate germanica ſplendentes *; cum itaque ex gremio capitulorum eligantur epiſcopi Electores & Principes imperii, (§. 215.) canonici cathedrales nobilitate germanica ſplendeant neceſſe eſt.

* Elector Moguntinus in litteris anno 1699. ad Pontificem datis ita loquitur: *In Germania non niſi Germani ad eccleſias cathedrales, iique ex præcipua nobilitate admitti poſſunt, ex eo inter alia, quod ex gremiis harum eccleſiarum eligantur epiſcopi, & S. R. I. Principes, cujus dignitatis exteri non ſunt capaces -- -- cognitio vero, an, & quis vere nobilis Germanus ſit, utpote de re politica, Imperatori, aliiſque Germanis competit.* Immo in pleriſque capitulis per ſtatuta, aut longam obſervantiam non modo nobilitas germanica, ſed etiam determinatus majorum numerus exigitur, quem legitimis demonſtrare probationibus oportet.

§. 217. Capitulum ſede vacante regimen interimiſticum tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus gerit. (§. 203.) Ad temporalia epiſcoporum Germaniæ pertinet ſuperioritas territorialis epiſcopatibus adnexa, (§. 177.) itaque ſede vacante capitula Germaniæ uti poſſunt juribus, quæ in negotiis imperii jure territorii exercentur.

Corol. Ad jura territorii pertinet jus ferendi ſuffragii in comitiis imperii, aliiſque conventibus imperialibus, ad hos itaque capitula cathedralia litteris ſolitis evocanda ſunt.

Schol. Conſonat cum his §. 21. Art. 5. pacis Oſnabr. in quo dicitur: *Sede vacante capitula, & quibus adminiſtratio cum iis conjunctis competit, ad univerſales æque, ac particulares deputationum, viſitationum, reviſionum, alioſque conventus imperiales litteris ſolitis evocentur, & ſuffragii jure fruantur.*

§. 218. Capitulum ſede vacante in jura ſtatus & dignitatis, in quibus præciſe ſplendor epiſcopalis ſpectatur, haud ſuccedit. (§. 205.) Suffragium in eligendo Imperatore eſt prærogativa ejuſmodi in qua præciſe ad dignitatem archiepiſcopalem & electoralem adtenditur, & ſit itaque capitula ad comitia vocanda ſint, (§. 217. Corol.) tamen, ſi in comitiis de eligendo Imperatore agatur, ad dandum ſuffragium, loco archiepiſcopi haud admittuntur.

Schol. Cum dictum ſit electores eccleſiaſticos fungi munere archicancellariorum imperii, (§. 178.) & directorium collegii electoralis Moguntinum habere, (§. 177.) aliqui hæc munia perſonalia dicunt & hac ex ratione, ſicut nos ſuffragium in electione Imperatoris, (§. 218.) exercitium horum archiofficiorum ſede vacante capitulis denegant. Sed cum archiofficia ſæpe officii continuitatem expoſtulent, & hodie aliunde non amplius in perſona, ſed per vicarios exerceantur, diverſa inter illa & electionem Imperatoris eſt ratio, in qua nil prohibet,

ut

ut votum unius, alteriuſve electoris quieſcat, ut in electione Ferdin. III. & Caroli VI. eſt factum, ut proinde capitulis ſede vacante exercitium archiofficiorum negandi nulla adſit ratio.

§. 219. Jus *auſtregarum* eſt jus, vi cujus ſtatus imperii in prima inſtantia coram ſupremis imperii tribunalibus conveniri nequeunt.

Schol. Auſtregas Hubnerus in ſuo lexico ita deſcribit: (Germ.) Auſtregæ *ſunt rei compoſitiones in prima inſtantia, quibus immediati Status Imperii ita gaudent ut ipſi illico, ſuo præjudicio, coram aliquo ſupremo imperiale dicaſterio conveniri nequeant. Omnes hi Status, id eſt Principes, Prælati, Comites & Domini, etiam haud regentes, nec non liberi Equites, jus* Auſtregarum *habent: extra hos autem pauci. Si qua coram his* auſtregarum *tribunalibus, controverſia eſt abſolvenda, illam perpendit abſolvitque Princeps aliquis, judex electus, ſive abſolvunt quidam Commiſſarii (ſuo tamen juramento ac munere ſoluti) accuſativi Principis, verum ita ut executio ſententiæ apud Cameræ tribunal maneat. Iſtæ Auſtregæ dividuntur in legales; quæ in communibus Imperii ſanctionibus conſtitutæ ſunt, & in* conventionales *quæ per conventum inter quaſdam familias conſtatæ, ab Imperatore confirmatæ fuerunt; quaſque habent Principum familiæ omnes. Magni interregni tempore, ex privatæ vindicationis jure,* Auſtregas *primum in Germaniam introductas, ac deinceps ab Imperat. Maximiliano I. confirmatas fuiſſe, creditur.*

§. 220. *Capitulis Germaniæ ſede vacante jus auſtregarum competit.* Defuncto epiſcopo idem territorii ſtatus, eademque jura imperii realia, & præciſe perſonæ dignitatem non ſpectantia permanent, at ſtatus imperii jure auſtregarum gaudent, (§. 219.) quod jus non tam perſonæ dignitatem, quam jura territorii reſpicit; ergo capitula vi regiminis interimiſtici, (§. 217.) ſede vacante perinde ad judicium auſtregale, ac Princeps ipſe, ſi viveret, provocare poſſunt, ne ſecus epiſcopatus ſeu ſtatus imperii beneficio *primæ inſtantiæ*, & jure adpellandi defraudetur.

Corol. Cum jus auſtregarum capitulis tantum vi regiminis interimiſtici competat, ſi illa tanquam collegium ab epiſcopo ſeparatum ſpectentur, (§. 212.) in negotiis ipſius capituli *qua talis* ſicut ſede plena, ita etiam ſede vacante, ad auſtregale judicium provocare nequeunt.

§. 221. Æque ac epiſcopatus proteſtantici (§. 183.), etiam canonici, & capitula proteſtantica dantur, eaque vel ſunt *mixta*; quæ ex catholicis & proteſtantibus conſtant, vel *pura*, ſeu mere proteſtantia. In capitulis mixtis is numerus canonicorum utriusque religionis eſt ſervandus, qui die prima Januarii anni 1624. fuerat, ad capitula vero mere proteſtantia non admittuntur niſi Aug. Conf. addicti, ſtatuente ita Inſt. P. O. Art. 5. §. 14. & 23.

Corol. Cum numerus canonicorum in capitulis mixtis ad annum 1624. regulandus ſit, rurſus adparet ratio, cur annus iſte normalis, & regulativus adpelletur. (§. 108 Corol.)

Schol. Canonici proteſtantici, ſicut epiſcopi (§. 183. Schol.) nullis initiantur ordinibus, ſed plerumque certa pecunia ordines redimunt, habentque libertatem ineundi matrimonium, niſi quod hoc negetur canoniſſis qua talibus, quamdiu nimirum in vita canonica manent; ſalva tamen iis reſignandi, nubendique dein facultate.

CAPUT OCTAVUM.

De Parochis.

§. 222. Epiſcopi ſoli in tota diœceſi curam exercere non poſſunt: in plures itaque cœtus minores oves ut dividantur eſt neceſſe, (§. 159.) quorum cuilibet

libet presbyter qua paſtor præſit. Pars illa diœceſeos, cujus incolæ cœtum quemdam minorem ad Deum modo a Chriſto determinato colendum conſtituunt, *parochia*, & presbyter, qui cœtui huic præeſt, *parochus* adpellatur.

Schol. Apud Romanos Parochi olim dicebantur, qui peregrinis ligna cum ſale præbebant, hoc eſt: omnia neceſſaria, teſte Acrone ad illud Horatii:
Proxima compono ponti quæ villula tectum Præbuit, & parochi, quæ debent ligna ſalemque;
Inde fortaſſis cum alimenta ſpiritualia chriſtianis presbyteri præberent, etiam *parochi*, ſeu præbitores ſunt dicti.

§. 223. *Parochi quoad eſſentialia ſpectati inſtitutionis ſunt divinæ*. Chriſtus ipſe præter apoſtolos ſibi elegit ſeptuaginta duos diſcipulos, quod magiſtri ſui exemplum imitati apoſtoli quosdam ſibi aſſumpſerunt partem poteſtatis ſuæ illis tribuentes, ut qua paſtores populo fideli præſint, (§. 62.) qui tertium in hierarchia divinæ inſtitutionis obtinent gradum, (§. 65.) ac proin divina eſt inſtitutio, ut ſemper aliqui adſint presbyteri, qui ſub regimine epiſcoporum cœtibus minoribus chriſtianorum præſint. In hoc vero parochorum quoad ſubſtantiam ſpectatorum conſiſtit officium, (§. 222.) nihil itaque dubii ſupereſt, parochorum inſtitutum, ſi ea, quæ recentior eccleſiæ diſciplina addidit, demantur, divinum eſſe.

Schol. Nihil cum divina parochorum inſtitutione pugnat, eccleſias parochiales ſeculo quarto antiquiores haud eſſe; demus enim rem ita ſe habere, tamen ſalva parochorum divina origo permaneret, quum ad eſſentiam parochi non pertineat, ut peculiarem habeat eccleſiam, ſicut ad hoc, ut epiſcopi divinæ ſint inſtitutionis, haud requiritur, ut ſinguli ſuas habeant diœceſes. Dein neque id omni ex parte admittendum, parochialium eccleſiarum originem ſeculo quarto antiquiorem haud eſſe. Etſi enim templa iis, quæ hodie habemus ſimilia, primis quatuor ſeculis haud extiterint, tamen primi chriſtiani habebant loca deſtinata ad cultum divinum, ad quæ conveniebant. Porro conventus, hos non fuiſſe ſolum ejusmodi, quibus epiſcopus, ſed etiam minores, quibus presbyter præerat, ingens chriſtianorum numerus ſatis indicat. Cum enim jam apoſtolorum tempore in ſola urbe Hieroſolymitana una die tria millia Chriſto nomen dederant, omnesque (uti habetur in Act. Apoſt. c. 2.) perſeverantes eſſent in communicatione fractionis panis, quomodo hi convenire omnes in uno loco tuto potuiſſent ea in urbe, in qua chriſtianorum conventus ubique inſectabantur, omnesque chriſtianos eradicatos volebant? In plures itaque cœtus minores diſtribui eos oportuit, in quos ſub regimine presbyterorum coirent ad celebrandam ſacram cœnam, aliaque.

§. 224. Parochi quoad ſubſtantiam ſpectati ſeptuaginta duobus diſcipulis, quos Chriſtus elegit, ſuccedunt. (§. 223.) At diſcipuli hi poteſtatem ſuam ſacram immediate a Deo accepere; idem itaque de parochis dicendum, ſecus enim jam non ſucceſſio, ſed nova foret inſtitutio.

Corol. Poteſtas immediate a Deo promanans eſt ordinaria, proin parochi non ſunt meri epiſcoporum vicarii, ſed curam gregis una cum epiſcopo gerunt jure proprio cum ſubordinatione tamen ad epiſcopum.

Schol. Neque hic obmoveri poteſt, parochis ab epiſcopo populum & diſtrictum jurisdictionis deſignari, ac proin illos eſſe meros epiſcoporum vicarios; nam univerſim hæc propoſitio falſa eſt: *Ille dat poteſtatem, qui populum & diſtrictum deſignat*, quoniam apoſtoli populum deſignarunt, loca ſeparabant, & diſtrictus diſtinxerant; quod ſi jam is jurisdictionem daret, qui populum deſignat, dicendum foret, apoſtolos ſibi ipſi poteſtatem dediſſe. Eſt itaque deſignatio diſtrictus adplicatio poteſtatis ad determinatum cœtum, a qua exercitium ejusdem tanquam a conditione *ſine qua non* eſt ſuſpenſum, ſicut potentia videndi non ab ipſo datur lumine, ſed exercitium eiusdem a lumine tanquam a conditione *ſine qua non* dependet.

§. 225. Cum parochorum poteſtas proxime a Deo deſcendat (§. 224.) & jure proprio populum ſibi commiſſum regant, (ibid. corol.) ſequitur, eos eſſe veri

veri nominis paſtores. Notio paſtoris ſub ſe continet jurisdictionem ſpiritualem, & poteſtatem diſtribuendi bona in eccleſia communia, (§. 27.) ergo utrumque parochis competit, modo tamen limitato, & gradu inferiori quam epiſcopis.

§. 226. Inter bona ſocietati eccleſiaſticæ communia continentur ſacramenta. Parochis jus competit diſtribuendi bona fidelibus communia, (§. 225.) proin de jure communi parochi jus habent *excluſive* omnia ſacramenta, quæ ordinem epiſcopalem non requirunt, populo ſibi ſubdito diſtribuendi, qua in re antiquior eccleſiæ diſciplina adeo rigoroſa fuit, ut ne quidem presbyteris alterius parochianum, niſi in itinere fuerit, abſque conſenſu ſui presbyteri ad miſſam recipere licuerit. Ideo feſtis diebus presbyteri, antequam miſſam celebraſſent, plebem interrogabant, num alterius parochianus in eccleſia adſit, qui contempto *proprio* presbytero miſſam audire vellet, quem ſi invenere, mox ab eccleſia ejiciebant. Neque etiam ab alio, quam a proprio parocho communionem recipere licuit, contrarium autem facientes a perceptione corporis Chriſti tamdiu abſtinere debuerant, quousque plebano ſuo ſatisfecerant de contemptu. Hanc diſciplinam ſucceſſive cellapſam Trid. reſtaurare deſiderans mandat epiſcopis ſeſſ. 24. de reform. cap. 13. ut in iis quoque civitatibus & locis, ubi eccleſiæ parochiales certos fines non habent, ſed promiſcue petentibus ſacramenta adminiſtrant, pro tutiore animarum eis commiſſarum ſalute, diſtincto populo in certas, propriasque parochias, unicuique ſuum perpetuum, peculiaremque parochum aſſignent, qui eas cognoſcere valeat, & a quo *ſolo licite* ſacramenta accipiant.

Schol. Hæc diſciplina ex eo tempore eſt immutata, ex quo religioſis & monachis prædicandi verbi divini, & ſacramenti pœnitentiæ adminiſtrandi data eſt facultas, quam quidem ſucceſſive obtinuere; nam monachi primitus erant laici, & qua tales, ſicut ceteri parochiani ad eccleſias parochiales convenire, ibique divinis intereſſe debebant. Cum autem frequens viſitatio eccleſiæ parochialis (quæ quandoque longius etiam a monaſterio diſtabat) cum diſciplina monaſtica, quæ frequentiorem extra monaſterium commorationem vetabat, componi haud poſſe videbatur, in monachis tolerati ſunt presbyteri, qui ſacrum facerent in oratoriis domeſticis pro ſuis confratribus. Dein vero cum omnes monachi ſacris initiari cœpere, non tantum eccleſias adquirebant publicas, in quibus verbum divinum prædicare, & ſacramentum pœnitentiæ adminiſtrare illis eſt conceſſum, ſed etiam eccleſiis parochialibus extra monaſterium ſunt præpoſiti, ibidem officium parochi ut exerceant. Quoniam vero commoratio in parochiis, & *vitam communem*, quæ ad eſſentiam vitæ monaſticæ pertinet, & *dependentiam a ſuperiore* tollit, ſtatuit Imperatrix Maria Thereſia piæ memoriæ anno 1772. 20. Martii, ut regularibus in iis tantummodo parochiis curam exercere liceat, quæ ob ſuam amplitudinem ad minimum tres requirunt presbyteros, ut ita quodammodo *communitas* aliqua, & *dependentia* a ſuperiore inter illos habeatur; ad reliquas vero parochias, quæ unum, aut ad ſummum duos tantum requirunt operarios, clericos ſeculares exponi voluit. Cui tamen decreto 15. Maji anno 1772. ſequens limitatio & declaratio eſt data: (Germ.) *Religioſi Ordines valeant alios duos cœnobitas, vel reſpective unum, ad curam adjungere illius parochiæ, ubi unus vel duo cœnobitæ in cura poſiti fuerunt, ut ſic ſaltem tres ſint, non tantum pro meliori animarum cura plenioríque inſtructione, verum etiam ut harum trium unus diſtincte præſit.*

§. 227. Jus ad finem dat jus ad media. Parochis jus competit ſacramenta diſtribuendi, (§. 226.) ergo pariter jus habent erigendi in eccleſia parochiali fontem baptiſmalem, & tribunalia pœnitentiæ.

§. 228. Parochi ſunt veri nominis paſtores (§. 225.) ad munia paſtoris pertinet gregem ſuum in fide moribusque erudire, intelligis itaque, recte Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. edixiſſe: *Præcepto divino mandatum eſt omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, verbi divini prædicatione paſcere.*

Co-

Corol. 1. Quoniam obligatio prædicandi foret ſupervacanea, niſi ſimul parochiani proprium paſtorem audire tenerentur, infertur, obligationi prædicandi ex parte populi obligationem illum audiendi, ubi commode fieri poteſt, correlatam eſſe. Unde ſynodi quædam particulares vetuere, tempore, quo in eccleſia parochiali, eodem in aliis loci ejuſdem eccleſiis ſacra ſolenniora peragi, aut pro concione dici.

Corol. 2. Nec minus patet, parochos teneri ſuum gregem edocere, quod illius prædicationi intereſſe obligationem habeant, ſi commode fieri poteſt.

Schol. Si obmoveas regulam juris 68. in VI. poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſe ipſum, indeque deducere velis, parochos per ſe ipſos ad prædicandum verbum divinum non eſſe obligatos, regere: dictam regulam juris ſolum in actionibus realibus locum habere, non item in perſonalibus, in quibus ad induſtriam, peritiam, & qualitatem perſonæ adtenditur.

§. 229. Per *ſtationes mendicantium* intelligitur facultas concionandi ſtatis per annum diebus, quæ quibusdam ordinibus mendicantium conceſſa eſt, iique fratres, quibus hæc concionandi facultas competit *ſtationarii* dicuntur.

§. 230. Quilibet præceptum divinum, dum nullum adeſt impedimentum, adimplere tenetur: Parochis verbi divini prædicatio ex præcepto divino eſt injuncta, (§. 228.) ſi itaque ipſi non ſunt impediti, nihil obſtantibus mendicantium ſtationibus, utut antiquis, prædicare tenentur.

Corol. 1. Cum nemo jus habeat alterum in adimplendis præceptis divinis impediendi, intelligis: ſtationarios jus non habere parochum, ſi ipſe prædicare voluerit, impediendi.

Corol. 2. Inde autem porro conſequitur: ſtationarios eſſe ſolum parochorum *ſubſidiarios*, quibus quidem ſubſidium, non tamen impedimentum eſſe poſſunt.

Schol. Atque hæc quidem ita ſe habere autoritate S. Bonaventuræ, & Thomæ confirmo, quorum prior ita ſcribit. *Nos ſumus illi pauperes, qui remanentes manipulos ſegetum, & ſpicas decidentes poſt meſſores, & racemos relictos in vinea colligere debemus, id eſt, illas reliquias, quas plebani, qui habent officium in plebe ſua docendi, & colligendi, reliquerunt*, concludens: *divinam ſapientiam, & ſedem apoſtolicam ita diſpoſuiſſe, ut per ordines in prædicatione, & confeſſione defectus cleri ſuppleatur*, ipſeque S. Franciſcus de Aſſiſio hoc monitum dedit: *Si haberem tantam ſapientiam, quantam Salomon habuit, & invenirem pauperculos ſacerdotes hujus ſeculi in parochiis, in quibus morantur, nolo contra eorum voluntatem prædicare*. S. Thomas autem inquirens, utrum aliquis ordo inſtitui poſſit ad prædicandum, & confeſſiones excipiendas, ita methodo ſua conſueta pro parte negativa format argumentum; *Id, ad quod religio inſtituitur, videtur eſſe maxime proprium religioni: ſed prædicti actus non ſunt proprii religioſorum, ſed potius Prælatorum; non ergo ad hujuſmodi actus poteſt aliqua religio inſtitui*. Tum reſolvens pro affirmativa, ita reſpondet: *Sicuti religiones inſtituuntur ad prædicandum, & confeſſiones audiendum, non quidem autoritate propria, ſed autoritate ſuperiorum, & inferiorum, ad quos ex officio pertinet, & ita ſubvenire in tali miniſterio eſt hujus religionis proprium*.

§. 231. Contingit nonnunquam, ut parochi legitimi ſint impediti, vel certis diebus ob magnum populi concurſum inſufficientes ſint, præſertim in urbibus, & ut in adventu, & quadrageſima quotidie, aut in diebus feſtis plures, quam unam habere debeant concionem. Quamvis itaque præcepto divino ad prædicandum per ſe ipſos obligentur, (§. 228.) tamen his ſub determinationibus licite fratres mendicantes ſtationes ſuas continuare permittunt.

§. 232. Parocho curam ſuarum ovium ſemper incumbit, & ideo jus & obligationem habet pro viribus ſaluti earum invigilandi. Ad ſalutem ovium multum conducit, ut tali reficiantur pabulo ſpirituali, quod illis eſt adcommodatum. Ac proin non cuivis vices ſuas in prædicando obire concedere poteſt, ſed quantum in ſe eſt, adtendere debet, ut is mittatur in ſubſidium, de quo confidere poteſt, ut populum eo pabulo ſpirituali paſcendi ſit capax, quod maxime illi eſt proficuum.

§. 233. Paſtoris officium eſt oves ſuas agnoſcere. (§. 95.) Is, qui oves ſuas noſcit, intelligit, quale pabulum ſpirituale illis ſit adcommodatum. Parochi ſunt ordinarii paſtores, (§. 255.) ac proin majorem parochiæ notitiam habere debent, quam ſtationarii, qui duntaxat quaſi tranſeundo, & ſtando, a quo ſtationes dicuntur, in parochiis verſantur. Quod ſi itaque ſtationariorum denominatio non dependet a parochis, aut ſi non tales, quales deſiderant, obtinere poſſunt, ut tamen de pabulo populo maxime proficuo proſpiciant, ſicut obligantur, (§. 232.) eſt valde congruum, ut quandoque cum ſtationariis conferant iis de rebus, quas expedit maxime in concione ad populum tractari, exempli gratia, ut in vitia, quæ maxime ibi regnant, maxime invehantur, & virtutes, quæ frigent, cum primis commendent, & alia pro populi conditione ſibi ſumant tractanda, quo & paſtor ordinarius, & ſubſidiarius concordes uno ore loquantur.

Schol. Idem variæ ſynodi particulares ſtatuere, & in ſpecie Audomarenſis Tit. 19. cap. 2. inſuper voluit: ut paſtor ipſe (ſi poſſit) concioni interſit, & diligenter advertat, num ejuſmodi pabulum ovibus porrigatur, quale convenit, num dicatur aliquid contra fidem catholicam, aut bonos mores. Quod ſi quid ejuſmodi obſervet, moneat concionatorem, ut apud populum id revocet, aut nobis vel per ſe, vel per decanum ſuum id ſignificent, denuncientque concionatnres (id, quod etiam rogamus omnes utriuſque ſexus fideles, pro eo, quo tenentur zelo tuendæ gloriæ Dei) qui opere, ſermone, aut converſatione ſcandaloſi, vel criminum ſuſpecti, maleque famati plus exemplo ſuo deſtruunt, quam verbo ædificant, quibus ſynodi Audomarenſis ſtatutis conſonat id, quod Princeps, & epiſcopus Spirenſis in ſua epiſtola paſtorali de anno 1780. die 20. Januarii ſtatuit, nimirum: (Germ.) *Tertio volumus, ut parochi ſcriptam cœnobitæ concionem legant, & antequam prædicetur, corrigant, ne quid contra dogma vel mores populo enuncietur. Sin autem cœnobita concionem oſtendere nolit, epiſcopale noſtrum brachium parocho exhibemus.*

§. 234. Ut parochi officium paſtoris exacte impleant, non ſufficit populum paſcere verbo divino, ſed etiam bonorum operum exemplo ut paſcant, eſt neceſſe, pro eoque ſacrificium offerant, nec non pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam gerant paternam. Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de reform.

Corol. Quorum nihil cum facere poſſint, niſi intra limites ſuæ parochiæ exiſtant, intelligitur, eos præcepto eodem, quo ad paſcendum, etiam ad reſidendum teneri.

§. 235. Quoniam rationi valde eſt conſentaneum, ut idem curam eorum etiam poſt mortem gerant, qui viventes ejus erant oves, factum eſt, ut jus habendi cœmeterii, defunctosque ſepeliendi juribus parochialibus ſit adnumeratum.

Corol. Eccleſiæ non parochiales non niſi ex privilegio cœmeterium habere poſſunt.

Schol. Uberior de cœmeteriis & ſepulturis dicendi occaſio in jure privato occurret.

CAPUT NONUM.

De Clericorum juribus communibus.

§. 236. Vidimus hucusque obligationes & jura perſonis eccleſiaſticis relate ad gradum, quem in hierarchia tum divinæ, tum eccleſiaſticæ inſtitutionis, (§. 66.) obtinent, competentia. Sunt præterea etiam prærogativæ aliæ, quas clerici *qua tales* abſque ullo reſpectu ad hierarchiam habent, quasque omnes ſimul ſumptas *clericorum privilegia communia* adpellamus. Porro hæc privilegia,

cum

Digitized by Google

cum vel perſonis, vel rebus clericorum ſint conceſſa, recte in *perſonalia*, & *realia* diviſeris.

§. 237. Concilium generale Lateranenſe II. anno 1139. eos excommunicatione majori (§. 30.) puniendos edixit, qui clerico *diabolo ſuadente* (ut ſcholæ loquuntur violentas injecere manus. Hoc privilegium privilegium *canonis* dicitur.

Corol. Percuſſio clerici defenſionis, aut correctionis gratia non fit ſuadente diabolo, ac proin ei excommunicatio adnexa eſſe nequit.

§. 238. *Judex ſecularis non eſt incapax cognoſcendi de percuſſione clerici.* Num percuſſio clerici facta ſit, vel non, eſt quæſtio *facti externi*. Facta externa cognoſcendi judex ſecularis non eſt incapax, quoniam nulla ad hoc eſt neceſſaria poteſtas & jurisdictio ſpiritualis, patet itaque propoſitum.

§. 239. *Judici ſeculari jus competit in cauſa percuſſionis Clericorum concurrenter cum Judice eccleſiaſtico cognoſcendi, ita, ut ſine illius conſenſu ad excommunicationis ſententiam procedi nequeat.* Excommunicationi adnexi ſunt effectus civiles ex Principum conſenſu. (§. 33.) Quoniam vero quilibet legislator jus habet actiones ſubditorum cum legibus ſuis comparandi, iisdemque adplicandi, (§. 21.) nec non declarandi, cum quali actione malum, ſeu pœnam (§. 24.) connectere velit, etiam Princeps examinare poteſt, cum nulla ad hoc requiratur poteſtas ſacra, (§. 238.) utrum talis facta ſit percuſſio clerici, cui excommunicatio, (§. 237.) ac conſequenter pœnæ civiles ſunt adnexæ.

Corol. 1. Nunc vides, recte ſtatuiſſe anno 1768. die 16. Julii Imperatricem Mariam Thereſiam, ut cauſæ excommunicationis ob percuſſionem clerici a commiſſariis eccleſiaſticis, & ſecularibus pari numero cognoſcantur, & ſententia Majeſtati ad adprobationem offeratur.

Corol. 2. Intelligis etiam, ſi epiſcopus contra præſcriptum modum ſententiam excommunicationis in clerici percuſſorem ferret, eam nullos effectus civiles poſt ſe tracturam.

§. 240. Privilegium *fori* eſt id, quo clerici in *cauſis civilibus* * a jurisdictione judicis ſecularis eximuntur.

* In cauſis enim ſacris, & ad eſſentiam religionis pertinentibus vi mutuæ utriuſque poteſtatis independentiæ, (§. 41. & 42.) a foro ſeculari ſunt immunes.

§. 241. *Illa pars juris naturalis, quam jus civitatis adpellamus, clericos a jurisdictione ſeculari in cauſis civilibus non eximit.* Quamprimum quis in eadem, in qua natus eſt civitate, manet, ſaltem tacite *pactum ſubjectionis* erga imperium ejusdem civitatis init. Quod ſi itaque clerici imperio civili haud ſubeſſent, tranſitus a ſtatu laicali ad clericalem pactum ſubjectionis tollere, eosque ex membris civitatis in non-membra immutare deberet. Quoniam vero in eſſentia ſacrorum ordinum nihil continetur, quod cum pacto ſubjectionis ſtare non poſſit, relinquitur: jure naturali clericos a poteſtate civili in cauſis civilibus exemptos non eſſe.

Schol. Clerici tenentur jure naturali officium ſacrum rite adminiſtrare, (ait Bellarm. L. 1. de clericis cap. 30.) atqui repugnat illud rite adminiſtrare, & ſimul juriſdictioni civili ſubeſſe. Nam turpiſſimum foret, ſi magiſtratus epiſcopum punire poſſet, a quo ipſe puniendus, & corrigendus eſt, & ſi hodie epiſcopus ad ſuum tribunal vocaret laicum, cras vero laicus ille ad ſe vocaret epiſcopum. Sic enim periret omnis reverentia epiſcopis & ſacerdotibus debita, & ipſe ordo naturæ perverteretur, ſi paſtores ovibus ſubjicerentur. Verum ad hoc id unum regero, turpe non eſſe, neque naturæ ordinem perverti, ſi Imperans civilis relate ad eccleſiam qua membrum ejuſdem fiat ſubditus, etſi de cetero ſummus ſit,

& independens, ita pariter Imperantes eccleſiaſtici, etſi in ſacris ſummi ſint, & independentes, ſalvo naturæ ordine relate ad civitatem in cauſis civilibus ſubditi eſſe poſſunt, neque metuendum eſt, tali modo reverentiam illis debitam perire, immo tum potius reverentiam laici illis denegarent, ſi eos viderent ut cives refractarios poteſtatem ſecularem contemnere.

§. 242. *Clerici jure divino poſitivo a jurisdictione ſeculari in cauſis civilibus non ſunt exempti*. Paulus in epiſt. ad Rom. cap. 13. jubet: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Loquitur hic apoſtolus de poteſtate civili, quia illi poteſtati obediendum eſſe jubet, quæ gladium portat, & cui dandum eſt tributum, uti habetur in contextu. Quod ſi jam ſub *τὸ omnis anima* etiam comprehenduntur clerici, tum manifeſtum eſt, quod jure divino poſitivo poteſtati ſeculari ſubjecti ſint. Ita autem rem eſſe, non tantum ex regulis hermeneuticæ, quæ tamdiu ſcripturam in ſenſu litterali, & regulis logices conformiter interpretandam præſcribunt, donec nulla adparet ratio in contrarium, ſed etiam ex SS. Patrum, qua optimorum ſcripturæ interpretum (§. 13. proleg.) ſententiis liquet. Nam S. Chryſoſt. hom. 13. in citatum apoſtoli locum ita commentatur: *Hoc omnibus imperari ſacerdotibus etiam & monachis, nec ſecularibus tantum, hoc ab exordio declarat dicens:* Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. *Etſi apoſtolus eſſes, etſi Evangeliſta & Propheta, etſi quivis alius. Neque enim hæc ſubjectio pietatem ſubvertit*. S. Bernardus autem in epiſt. 42. ad Henricum Senonenſem archiepiſcopum ſcribit: *Omnis anima poteſtatibur ſublimioribus ſubdita ſit. Si omnis, & veſtra. Quis vos excipit ab univerſitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere.*

Schol. Qui divinam exemptionis fori exiſtimant eſſe originem, ſequentia producunt: Pſalm. 101. dicitur: *Nolite tangere chriſtos meos*, quod tantundem eſt, ac ſi dictum fuiſſet: *Nolite homines conſecratos ullo modo vobis ſubjicere*. Ex Pſalm. 44. ſequentem locum adducit Bellarminus adverſus Barclajum: *Principes terrarum conſtituam eos* (apoſtolos) *loco patrum*. Addunt can. 11. diſt. 94. in quo Joannes Papa dicit: *Non a legibus publicis, non a poteſtatibus ſecularibus, ſed a Pontificibus, & ſacerdotibus omnipotens Deus chriſtianæ religionis clericos voluit ordinari, & diſcuti, cui canoni etiam quædam concilia conformes edidiſſe ajunt*. Quod primum adtinet, animadvertendum eſt, loqui Prophetam de injutia, qua adficiebatur ſemen Abrahæ, ut dilucide ex antecedentibus, & conſequentibus adparet. Recte autem Propheta dicit, ſacerdotes non eſſe adficiendos injuriis, quomodo vero inde ſequatur, judicium Principum ſecularium in clericos juxta juris ordinem exerceri non poſſe, non video. Prætetea non ad magiſtratum ordinarium ſermo hic eſt factus, ſed ad Principes extraneos populo Dei interitum minitantes, namque alias ſatis conſtat, Moyſen in levitas & ſacerdotes poteſtatem ſuam exercuiſſe, & Davidem poſt unctionem regalem utrique ordini in profanis ſumma cum poteſtate præfuiſſe. Pſalm. dein 44. huc non quadrare, ipſe advertens Bellarminus ſubjungit: quamvis principatus ille ſpiritualis eſſet, tamen verus principatus erat, & temporali principatu longe nobilior, at non de dignitate, ſed poteſtate docendum erat. Tandem ſæpius a conſtitutionibus pontificiis divino jure quid conſtitutum dicitur, quod ab aliqua veteris teſtamenti, aut antiquorum conciliorum autoritate originem duxit, quod quidem nunquam factum fuiſſe optandum eſt, quia animos non ſatis peritos turbat.

§. 243. *Nec Pontifex, nec tota eccleſia poteſtatem habet clericos a Jurisdictione civili in cauſis civilibus eximendi*. Fac ita fieri, & habebis poteſtatem civilem a ſacra dependentem contra, ac voluit Chriſtus (§. 41. 42. & 49.)

Schol. 1. Si Pontifex (ait Bellarminus) aliquem ad ordinem clericalem promovet, non minus eum jurisdictioni ſeculari ſubtrahit, ac Imperator ſubditum, quem ad Principem evexit, a juriſdictione comitis, cui antea ſubjectus erat, eximit. At inter utrumque caſum lata eſt diſparitas: nam & comes, & ſubditus ejus juriſdictioni Imperatoris ſunt obnoxii, econtra laicus judex, & clericus, ſi juriſdictio ſpectetur civilis, Pontifici non ſubſunt.

Digitized by Google

ſunt. Ita etiam poteſt Pontifex clericum, illum ad dignitatem cardinalitiam evehendo, a juriſdictione ſui epiſcopi eximere, quia uterque ei in ſpiritualibus ſubeſt, at nequit Imperator epiſcopum ad Principem evehendo, eum a Pontificis juriſdictione in ſpiritualibus eximere.

Schol. 2. Pontifici jus eſt (dici poſſet) diſponendi de rebus eccleſiæ, prout utile videtur, utile autem erit eccleſiaſticos non miſceri rebus ſecularibus, ne ab officio ſuo arceantur. Cui reponendum, non omne, quod eſt utile, ſimul eſſe juſtum, ſecus enim & pauper divitem juſte ſpoliaret, eo quod bona divitis pauperi forent utilia. Quod ſi jam daretur, exemptionem clericorum eſſe utilem, eam Pontifex propria autoritate concedere non poteſt ſine læſione juris Imperanti competentis.

§. 244. Privilegium fori (§. 240.) clericis nec jure naturali, (§. 241.) nec divino poſitivo, (§. 242.) nec eccleſiaſtico competit, (§. 243.) nihil itaque ſupereſt, niſi ut illud privilegium Principum eſſe dicamus.

Schol. Illud plane maximum (ſcribit Sozomenus de Conſtantino M.) reverentiæ Imperatoris erga religionem argumentum eſt, quod omnes ubique clericos immunitate donaverit, & lege hac de re ſpecialiter data litigantibus permiſerit, ut ad epiſcoporum judicium provocarent, ſi magiſtratus civiles rejicere vellent. Hæc prima ſunt exemptionis veſtigia, ſed tenuia adhuc; nemo enim vi harum conſtitutionum, & ne clericus quidem coram epiſcopo agere tenebatur, ut aperte lex Marciani Imp. de anno 456. docet, cujus hæc ſunt verba: *Quod is, qui clericum Conſtantinopolitanum perſequitur, nec archiepiſcopi judicium ſubire cupit, alibi, quam coram præfecto prætorio contendere nequeat.* Pleraſque anteceſſorum ſuorum leges confirmavit Juſtinianus. Petiti ſumus (ait) a Mena, archiepiſcopo Conſtantinopolitano, clericis hoc dare privilegium, ut ſi quis habet pecuniariam cauſam, prius ad archiepiſcopum pergat, ſub quo conſtitutus eſt, quin ad auditoria civilia trahatur. Si vero propter quandam difficultatem non fuerit poſſibile epiſcopo decidere negotium, tunc licentiam eſſe ad civiles judices pergere, ita tamen, ut non propter ejuſmodi cauſas clericus ſacris amoveatur obſequiis. Si tamen clericus de criminibus conveniatur, diſtinguendum eſt inter crimen civile, & eccleſiaſticum. Si itaque (pergit Imp.) crimen eſt civile, clericus adcuſatus Conſtantinopoli coram competente judice conveniatur, in provinciis coram præſidibus non tranſcendente lite duorum menſium ſpatium, & ſi provinciæ præſes reum eſſe putaverit, qui convenitur, & pœna judicaverit dignum, prius hunc ab epiſcopo ſacerdotali dignitate ſpoliari oportet &c. In alia anni 541. lege Juſt. ita conſtituit: Si quis contra aliquem clericum, monachum, aut diaconum habet aliquam actionem, adeat prius epiſcopum, & ſiquidem utraque pars iis, quæ judicata ſunt, adquieverit, jubemus per loci judicem hoc executioni perfectæ contradi. Si quis autem litigantium intra decem dies contradicat, tunc locorum judex examinet, & ſi judicium prius confirmet, non liceat amplius adpellare, ſi vero judicis ſententia contraria fuerit iis, quæ ab epiſcopo judicata ſunt, tunc locum habere adpellationem contra ſententiam judicis. Rationem dein, cur exemptio a foro civili clericis data ſit, hanc refert Juſt. in Nov. 83. *Ne a ſacro eum vacare faciat miniſterio, ſed ex non ſcripto negotium examinetur ſine damnis.* Et alibi idem privilegium indulgens monachis, & monialibus cauſas eorundem ad epiſcopum deferri jubet, qui non tanquam judices civiles cum ſtrepitu forenſi, ſed honeſte, & ſacerdotaliter eas terminent. Atque hanc epiſcoporum in decidendis clericorum cauſis autoritatem conſequentium ætatum Imperatores ſæpius confirmarunt, inter quos Fridericus II. in conſtitutione de ſtatutis, & conſuetudinibus contra libertatem eccleſiæ editis ſtatuit: nullus eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione, vel civili trahere ad judicium ſeculare præſumat contra conſtitutiones imperiales, & canonicas ſanctiones. Hæc & alia quamplurima exempla vetuſtatis ſatis oſtendunt, nihil hoc exemptionis privilegium ad Imperantes ipſos, ſed ad magiſtratus duntaxat ſubalternos pertinere. Ait quidem Bellarminus, piis Principibus nondum ſatis notam, atque explicatam fuiſſe exemptionem, quam jure divino clerici habent, ſanctos Patres autem eam paulatim explicare niſos fuiſſe, at nihil Patribus id explicare opus fuerat, quod pridem ipſe explicabat Chriſtus & apoſtoli, dum ante Reges & Præſides ducebantur.

§. 245. Immunitas a juriſdictione ſeculari clericis ideo data eſt, ut ſacris liberius vacare poſſint. (§. 244. Schol.) Quia vero etiam ſtatus militaris eos a miniſterio ſacro arceret, Imperantes illos a militia immunes edixere.

§. 246.

§. 246. Privilegium determinato ſtatui ab Imperante conceſſum *tacitam exceptionem neceſſitatis* in ſe continet, ne civitati evadat noxium. Quod ſi ergo patria aliter defendi non poſſet, niſi clerici arma arripiant, juri ſequelæ, Imperantibus ceu conſectarium ex jure belli competenti ſunt obnoxii.

Schol. Qui proximo in neceſſitate conſtituto auxilium præſtat, miſericors eſt. Qui eſt miſericors facit rem Deo gratam. Fac aliquem in via publica a latronibus invadi, tum clericus ei auxilium præſtans, etiam cum cæde latronis, ſi læſio aliter averti nequit, erit miſericors, id eſt faciet rem Deo gratam. Fac etiam rempublicam ab hoſte invadi ita, ut defendi jam non poſſit, niſi clerici quoque arma arripiant, tum id facientes ſuis concivibus in neceſſitate poſitis auxilium præſtabunt, ac proin erunt miſericordes, id eſt: facient rem Deo gratam. Fallitur ergo, ſi quis exiſtimat ſtatum clericalem, & militarem ſibi invicem contradicere, aut fors dedecere poteſt clericum, ut qua miles officium boni civis peragat vitam bonaque tot ſuorum concivium defendendo, cum tamen nemo dixerit, indignam ſtatui clericali illum ponere actionem, qui ad ſervandam propriam vitam iniquum occidit adgreſſorem?

§. 247. Eſt æquitati naturali conveniens, ut clerici ſemper habeant ſuſtentationem ſtatui eorum competentem, etſi non habeant unde creditoribus ſatisfaciant, ne ob inopiam cogantur ab officiis clericalibus abſtinere. Privilegium, vi cujus ſalva clericis ſtatui congrua ſuſtentatio manere debet, etſi creditoribus ſatisfacere nequeant, *privilegium competentiæ* adpellatur.

Schol. Clerici ob privilegium competentiæ non tantum ſuſtentatione congrua privari, ſed etiam pœna excommunicationis, aut carceris ob debita moleſtari nequeunt. Origo, & limitationes hujus privilegii ſunt ſequentes. Jam de jure romano illud competebat parentibus & liberis *L.* 16. & 17. *ff. de re judic.* fratribus, & ſororibus. *arg. L.* 63. *pr. ff.* ſociis tam illis, qui univerſorum bonorum ſocietatem inierunt, quam ſociis particularibus *L.* 63. *ff. pro ſoc.* marito ſive ratione doris reddendæ, ſive ratione cujuscunque contractus cum uxore initi conveniatur *L.* 17. *L.* 20. *ff. de re judic.* debitoribus, qui ſemel bonis ceſſere intuitu priorum creditorum *L.* 6. & 7. *ff. tit. de ceſſ. bon.* militibus *L. miles* 6. & *L. item miles* 18. *ff. de re judic.*, aliisque, qui videri poſſunt in Samuelis. Strykii uſu moderno pandectarum. Extendi dein etiam ad clericos cœpit occaſionem præbente *cap.* 3. *de ſolut.* Cum enim clericus quidam *Odoardus* nomine coram archidiacono Rhemenſi ſuper quibusdam debitis conventus fuerat, in eum ſolvere non valentem excommunicationis ſententiam promulgavit; at reſcripſit Pontifex: *Mandamus, quod ſi prædictus Odoardus in totum, vel ex parte non poſſit ſolvere debita, ſententiam ſine difficultate qualibet relaxetis.* Ex hoc textu plerique juris interpretes privilegium competentiæ deduxere, ſed minus recte. Ex eo enim, quod clericus ob debita ab excommunicatione immunis dicatur, non continuo ſequitur, eum etiam a carcere liberum eſſe, id, quod tamen ſub beneficio competentiæ continetur. Videntes dein quidam ex adlato Gregorii textu pro clericis deduci nihil poſſe, ad alias confugerunt rationes, ajebantque: milites cœleſtis militiæ æquiparari militibus terreſtribus, quemadmodum autem militibus conceditur privilegium competentiæ, ne militiam deſerant, ita multo magis militibus cœleſtibus competere debet, ne a divino miniſterio abſtineant, & in ſtatus opprobrium mendicare cogantur. Verum hoc argumentum ingenti laborat vitio, quicunque enim in uno aut altero comparantur, non propterea iidem cenſendi ſunt, nec iisdem ubique gaudent juribus. Præterea beneficium competentiæ eſt jus ſingulare, adeoque ſtrictioris interpretationis, quod extenſionem non admittit ad alias perſonas, quam quibus illud leges indulſere. Suadet quidem hæc ratio, æquum eſſe hoc clericos privilegio gaudere, minime vero probat, eis tale jus datum eſſe. Etſi vero nulla lex aut ratio juris adferri poſſit, quæ privilegium competentiæ clericis conceſſiſſet, tamen cum omnes fere interpretes ex cit. cap. 3. de ſolut. illud deduxiſſent, id etiam in foro creditum, & receptum eſt, non tantum inter catholicos, ſed inter ipſos etiam proteſtantes teſte Bœhmero maxime cum id æquum videretur ob ſtatus clericalis honorem nec non eccleſiis ipſis ſalutare, quibus ſæpe ob inopiam deſervire amplius nequirent clerici, ſi omni, quo poſſent, rigore creditores adverſus illos uterentur. Unde clericis egentibus aliquid ex reditibus eccleſiaſticis pro eorum ſuſten-

Digitized by Google

ſuſtentatione determinatur, quod vocant (Germ.) *competentiam ponere & dare*, reliquam vero creditoribus relinquitur. Etſi autem uſus & praxis doceat omnibus clericis hoc beneficium competere, tamen limitationes quædam & in hoc ipſo conſiderandæ ſunt. Et imprimis quidem, etſi certum ſit capitula cathedralia catholica hoc gaudere beneficio; tamen dubitari valde poteſt, num illud & competat capitulis proteſtanticis puris, (§. 221.) cum canonici proteſtantes ordinibus haud initientur, (§. 221. Schol.) proin non tam clericis, quam perſonis eccleſiaſticis, & ne his quidem, niſi in ſenſu laxiori accenſeantur, cum officia eorum (ipſo fatente Bœhmero) ſint ejusmodi, ut fere non ſint clerici, 2do non gaudet hoc beneficio clericus in minoribus conſtitutus ordinibus, niſi inſerviat cuidam eccleſiæ, in tales enim non quadrat ratio æquitatis, propter quam hoc eſt datum beneficium, ne nimirum in præjudicium eccleſiæ præ inopia ei inſervire haud poſſent. 3tio eo non gaudent clerici, qui debita contraxere ex delicto, vel quaſi delicto, cum ex delicto commodum ſentire nemo debeat; hinc clericus ob debita mercaturam concernentia conventus competentiæ beneficio privatur, cum mercatura canonibus ſit prohibita. 4to non gaudent tunc, quo creditor magis eget, quam ipſe clericus debitor, quia in pari cauſa præferri debet, qui agit de damno vitando, quam qui de lucro capeſſendo. Tandem neque ii hoc beneficio gaudent, qui ei renunciarunt. Ideo in antiquis chirographis frequenter hæc clauſula occurrit: (Germ.) *Renuncio ſic omnibus legis beneficiis, præcipue Capit. Odoardus*, in quo nimirum beneficium competentiæ clericis conceſſum fuiſſe putabatur.

§. 248. *Clerici jure naturali a præſtatione tributorum non ſunt immunes.* Quodlibet civitatis membrum ex *pacto unionis* vires ſuas ad finem ſocialem obtinendum conjungere tenetur. Finis civitatis eſt ſecuritas interna & externa. (§. 39.) Ad ſecuritatem externam conſervandam requiruntur munimenta, exercitus & legationes, * ad internam vero magiſtratus, judicia, & officiales. Etiam Imperans ſtatui ſuo convenientes redditus habere debet. Hæc, & hujusmodi onera a ſingulis civibus ſunt præſtanda, quia ſinguli publica protectione, & ſecuritate fruuntur. Quoniam itaque nihil in eſſentia ordinum continetur, quod clericis jus daret publicam protectionem exigendi, absque quod ad ſecuritatem conſervandam quid conferant, liquet, eos jure naturali a tributorum præſtatione immunes haud eſſe.

* Neque quis gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine *tributis* haberi queunt, ait eleganter Tacitus hiſt. 4. cap. 74.

§. 249. *Chriſtus clericos a præſtatione tributorum non exemit.* Paul. ad Rom. cap. 13. dum dixiſſet: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, ſubjungit: *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* At ſub voce *omnis* etiam clerici comprehenduntur. (§. 242.) ergo & ab iis eſt tributum reddendum, & ipſe Chriſtus Matth. 20. cap. jubet; *Reddite, quæ ſunt caſaris, caſari.*

Schol. Qui divinam immunitatis realis adſeruere originem, in illo apud Matth. loco ſuum poſuere fundamentum, ubi Chriſtus interrogat Petrum: *Reges terræ a quibus accipiunt tributum, a filiis ſuis, aut ab alienis?* reſpondit Petrus: *Ab alienis.* Tum Chriſtus repoſuit: *Ergo liberi ſunt filii.* Verum ſi in ſenſu ab iis intento citatus textus ſumi deberet, ſequeretur non tantum clericos, ſed omnes fideles ab oneribus publicis eſſe immunes, cum omnes ſint filii Dei, in quem locum ita ſeribit vir quidam doctus: *Fuit hoc vitium aliquando ævi, ut ſacros textus, qui omnibus chriſtianis commune jus faciunt, in prærogativam ſolorum clericorum interpretaremur.* Aut igitur Chriſtus ſe hoc textu regia Davidis ex ſtirpe natum, aut quia tributum illud ab exteris ſolum perſolvendum erat, tanquam indigenam liberum pronunciavit.

§. 250. *Pontifex, aut eccleſia clericos ab obligatione præſtandi tributa liberare nequit.* Cum enim jus exigendi tributa a clericis Imperanti jure naturali, (§. 248.

(§. 248.) & divino poſitivo competat, (§. 249.) ſi eos ab hac obligatione eccleſia eximeret, imperium civile ab eccleſiaſtico fieret dependens, quod cum fieri nequeat, (§. 41. & 49.) ſequitur id, quod erat oſtendendum.

§. 251. Immunitas realis neque ex jure naturali, (§. 248.) neque ex divino poſitivo, (§. 249.) neque ex eccleſiaſtico deduci poteſt, (§. 250.) ergo rectæ argumentandi methodo inſiſtendo fateri debemus, eam ex Principum gratia deſcendere.

Schol. Prima immunitatis realis initia poſuit Conſtantinus M., qui bona ad eccleſias pertinentia a quibuſcunque, ipſos autem clericos, eorumque prædia a novis, & extraordinariis tantum collectionibus exemit. Filius ejus privilegia patris ſui non tantum confirmavit, ſed etiam auxit, quoniam clericos a *cenſu capitum*, *a muneribus civilibus*, *& curialibus*, *nec non ſordidis* immunes ſtatuit. Præter hæc primum clericos pauperes, dein omnes indiſcriminatim, mox rurſus pauperes tantum a *collatione luſtrali*, ſeu *chryſargyro* exemit. His addidit exceptionem a *metationibus*, *tranſlationibus*, *angariis*, *& parangariis*. Abrogaſſe quidem hæc privilegia Julianus apoſtata videtur, at rurſus confirmata ſunt a Valentiniano & Valente. Ineunte ſeculo nono ſingulis eccleſiis parochialibus *manſus* unus dari cœpit, qui ab omni tributo erat liber. Quamvis vero manſus unus ordinarie fundum, qui duobus bobus ad laborandum ſufficit, ſignificet, tamen, cum *manſus eccleſiæ* omnis ea terræ portio dici ſolebat, quæ eccleſiæ in dotem eſt data, univerſim poſſeſſiones eccleſiarum, quæ iis in dotem ſunt datæ, a tributis immunes evaſere. Seculo deinundecimo etiam ad poſſeſſiones clericorum *patrimoniales*, & *quaſi patrimoniales*, quas nimirum modo civili adquirunt, hæc immunitas extendebatur. Cum enim ex falſis Iſidori decretalibus ſemel creditum eſt, clericos ex inſtitutione divina civili juriſdictioni haud ſubeſſe, pronum fuit, eos eodem jure a tributorum præſtatione, quæ ſubjectionis illius ſignum eſſet, immunes dicere. Prædia vero illorum, ac poſſeſſiones tanquam acceſſoria perſonæ ſpectabantur, quæ etiam tributis non obnoxia eſſe ex regula vulgari: *Acceſſorium ſequitur principale*, conſequi videbatur. Quod quidem quam falſum ſit vel ex eo patet, quod ſecus Rex, cujus perſona nemini ſubeſt, ex prædiis, quæ in alterius Imperantis ditione poſſidet, tributa præſtare non debeat. Fundi itaque, & prædia potius tanquam *principale*, quam tamquam *acceſſorium* vi adlati exempli ſpectari deberent.

CAPUT DECIMUM.

De Clero Regulari.

§. 252. Ad hierarchiam eccleſia arbitratu ſuo etiam dignitatem quorumdam ſuperiorum regularium adjecit, igitur de his quoque breviter dicendum erit.

§. 253. Status regularis eſt ſocietas fidelium editis perpetuæ obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis votis ſecundum regulam ab eccleſia adprobatam ſub regimine eccleſiaſtico particulari ad perfectionem chriſtianam tendentium.

§. 254. Extitere ſemper aliqui in eccleſia tum ex clericorum, tum ex laicorum ſtatu, qui omnia vendidere, iisque in pauperes erogatis ipſi ſtrictam obſervarunt paupertatem, qui ſe ipſos caſtrarunt Propter regnum cœlorum, qui abnegarunt ſemetipſos, & tollendo crucem ſuam ſecuti ſunt Chriſtum, atque adeo, qui quoad ſubſtantiam conſilia evangelica ad amuſſim impleverunt, quin vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ emiſerint, aut in *ſolitudine*, vel in *ſtabili loco*, aut *ſpeciali ſub regula*, vel *regimine* vixiſſent, ſed fecerunt id in conſortio ceterorum hominum inter eccleſiaſticas, aut civiles (prout ſtatui cujuslibet conveniens erat) curas laboresque. Illi, qui dicto modo vitam ſuam conſiliis evangelicis conformem inſtituere conati ſunt, *Aſcetæ* nominabantur.

§. 255.

§. 255. Cum aſcetæ primitus in conſortio hominum vixiſſent, (§. præced.) adparet vitam ſolitariam ab initio de eſſentia vitæ aſceticæ haud fuiſſe. At perſecutiones in religionem chriſtianam exortæ vitam ſolitariam vehementer promovebant, ſiquidem ſub perſecutione Deciana, quæ circa ſeculi tertii medium ſervebat, multi homines in Ægypto in ſolitudines & montes ſeſe recipiebant, ubi non tantum a perſecutionibus ſecuri fuerant, ſed etiam plus temporis & libertatis ſe in pietate exercendi invenerant. Quæ vitæ ratio etſi primitus neceſſitate urgente ſit inita, tamen poſtea ceſſantibus etiam perſecutionibus adeo jucunda quibusdam videbatur, ut in cellulis, quos ſibi in ſolitudine pararunt, permanſerint. Hi dein jam non aſcetæ vocabantur, ſed *monachorum*, ſeu *monazonton*, id eſt, *vitam ſolitariam agentium*, nomen ſunt adepti, quos inter Paulus Thebæus, & Antonius Ægyptius imprimis floruere, quorum poſterior etiam diſcipulos ſibi adſciſcere cœpit, primusque (teſte Hier.) vitæ ſolitariæ excolendæ præcepta quædam tradidit.

§. 256. Nullam tamen hucusque vitam ſolitariam agentes habuere ſocietatem, & communitatem, nec ullum exſtructum fuit monaſterium, in quo ad certas regulas gubernanda eſſet ſocietas aſcetarum, aut monachorum. Primus fuit Pachomius, qui tempore Conſtantini M. in Thebaide Ægypti quædam monaſteria extruxit. Hic diſcipulos ſuos ad vitam communem traduxit, ut in locis quidem deſertis, at non diſperſi, ut hactenus, ſed in una domo ſub imperio unius vivant. Ita in deſerto in communitate viventes dicti ſunt *cœnobitæ*. Poſt Pachomium præcipuus eorum promotor fuit S. Baſilius, qui primus vitam cœnobiticam ex deſertis ad hominum ſocietatem in vicos, & urbes traduxit.

Schol. Poſtquam vita ſolitaria hoc modo a pleriſque derelicta fuiſſet, nihilominus nomen monachorum, quod vitam ſolitariam deſignat, (§. 225.) eſt retentum, & ipſa cœnobia *monaſteria* ſunt adpellata.

§. 257. Cum in eccleſia ſemper aliqui fuerint, etiam antequam monachi hodiernis ſimiles extitiſſent, qui vitam conſiliis evangelicis conformem agere conati ſunt, (§. 254.) etiam virgines quædam publice virginitatem profitebantur, quæ nonnunquam virgines eccleſiaſticæ vocabantur. Sed poſtquam vita ſolitaria, & monaſtica inter viros inſtituta fuit, etiam fœminæ hoc ſunt ſecutæ exemplum, inter quas ſoror Pachomii in Oriente, & in Occidente Marcella primæ fuere, quæ in deſertis, ut monachi habitabant. At quia hoc a decoro alienum videbatur, in urbes ſunt receptæ, atque ita monaſteria quoque virginum ſunt orta.

§. 258. Poſt ducentos, quibus vita monaſtica jam floruit annos tempore Juſtiniani Imp. S. Benedictus regulam novam præſcripſit, quæ a pleriſque eſt ſuſcepta, immo ſeculo octavo jam ſola ſuperfuit, cum ita aliis præſtantior eſt viſa, ut ſola ad regimen monaſticum ſufficere crederetur.

§. 259. Annis poſt Benedictum fere trecentis tepeſcente paulatim rigore reformatione fuit opus. Primus illam Benedictus Arianenſis Abbas juſſu Lodovici Pii Imp. ſuſcepit. Eum ſecutus eſt Berno Abbas Belmenſis author ordinis Cluniacenſis. Cum autem hic ordo, quo magis eſt propagatus, eo majus etiam diſciplinæ detrimentum ſenſerint, novus ſeculo undecimo exeunte prodiit vitæ monaſticæ reformator Robertus Molemienſis, qui cum ſociis ſuis monaſterium Ciſtercienſe condidit. Cum vero S. Bernardi Abbatis Clarevallenſis ſanctitas, & doctrina valde illuſtris fuerit, ipſe a plurimis totius ordinis Ciſtercienſis conditor eſt habitus.

Digitized by Google

§. 260. Expeditiones cruciatæ ſeculo duodecimo ſuſceptæ ordines equeſtres peperunt, qui militiam cum vita regulari conjungebant. Eſt enim ordo equeſtris ordo religioſus, cujus membra ſe ad religionem contra impugnatores armis defendendam voto ita obſtringunt, ut ſub ſuperiore ad exemplum regularium ſimul ac militum regulariter vivant, & ſtipendia propterea accipiant. Horum primus erat ordo *Templariorum* ſic dictorum, quia juxta templum Domini Hieroſolymis ſedes haberent. Finis eorum fuerat Hieroſolymam peregrinantes a latronibus defendere, & ſtratas publicas cuſtodire, at in Concilio Viennenſi anno 1312. urgente Philippo Pulchro rege Galliarum a Clemente V. ſunt extincti.

§. 261. Alter ordo equeſtris eſt *Hoſpitalariorum* S. Joannis, qui originem ſuam debet xenodochio Hieroſolymæ prope ſepulchrum Domini ædificato. Ab initio ergo ordo hic non equeſtris, ſed monaſticus fuit in miniſterium pauperum & infirmorum, præprimis peregrinantium erectus. Sed a tempore Anaſtaſii IV. Pont. tria hominum genera, *equites*, *fratres ſervientes*, & *clericos*, comprehendit. Hi ultra duo ſecula inſulam Rhodum anno 1309. occupatam contra Saracenos defendebant, unde etiam poſthac nomen ſunt ſortiti. Cum autem Saraceni iis ſuperiores eſſent, ſub Carolo V. inſula Maltha iis obtigit, quamvis in aliis etiam regnis plura bona obtinuerint ita, ut in octo nationes, quas linguas adpellant, ſint diviſi, ſub quibus nationibus, ſeu linguis *prioratus*, *balliviæ*, & *commendæ* occurrunt.

§. 262. Tertius eſt ordo *Teutonicorum* de domo S. Mariæ Hieroſolymæ. Nimirum dum Chriſtiani Acriam urbem obſidebant, quidam Germani ægrotantium commiſeratione tacti tabernaculum noſocomii loco extruxerunt, cumque jam antea a quodam Germano hoſpitale una cum oratorio B. V. Mariæ Hieroſolymis fundatum eſſet, ejusque ſodales militiam ſacram exercerent, placuit tertium ordinem militarem ex nobilibus Germaniæ erigere. Hi Hieroſolymis pulſi migrarunt in Pruſſiam, quam vi & armis profligatis infidelibus in ſuam redigere poteſtatem, & tribus fere tenuere ſeculis.

§. 263. Seculo decimotertio novi prorſus & inſoliti ordines religioſi adparuerunt, ex modo quærendi vitam *mendicantes* dicti. Horum author primarius erat Franciſcus de Aſſiſio, qui rejectis omnibus extremam ſecutus eſt paupertatem.

Schol. Originem & fata ceterorum ordinum mendicantium vide in ſcriptoribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ; magis enim eſt hiſtoricorum, quam juriſconſultorum, his rebus immorari, & hinc vides rationem, cur volanti ſolum calamo originem ſtatus regularis in hoc capite pertractaverim.

§. 264. Monachi in prima ſua origine erant laici, nihilque ab iis requirebatur, quam ſincerum propoſitum agendi pœnitentiam, & ad perfectionem tendendi. Hinc admiſſi ſunt omnis generis, & ætatis homines, ne infantibus quidem exceptis, quos parentes offerebant, admiſſi ſunt ſervi volentibus, ac conſentientibus dominis, illiterati æque ac docti, nam multi eorum ne legere quidem ſciebant. Neque enim ingenii, aut corporis vires ſpectabantur, quum quilibet pro ſuarum virium modulo agere pœnitentiam poterat. Poſtea in monachis tolerati ſunt presbyteri, qui ſacrum facerent in oratoriis domeſticis, ne illis eccleſias publicas, non ſine periculo turbandæ diſciplinæ monaſticæ, frequentare neceſſe eſſet. Tandem a tempore Concilii Viennenſis de anno 1311. monachi omnes ſacris initiari cœpere.

§. 265. Etſi vero monachi primitus e numero clericorum haud eſſent, Abbatum tamen, qui iis præerant, non vilis fuit ſemper in eccleſia authori-

tas.

tas. Poſtquam autem monachi univerſim ad ſtatum clericalem elevati ſunt, ea per conceſſionem pontificalium adhuc magis eſt aucta. Quo vero præciſe tempore Abbates uti cœperint ornamentis pontificalibus, incertum eſt. Seculo duodecimo nonnullos ex privilegio Sedis apoſtolicæ uſos fuiſſe mitra, annulo, & ſandaliis, multosque eo tempore Abbates uſum illorum non ſine labore ſollicitaſſe, teſtis eſt S. Bernardus in epiſt. 42. ad archiepiſcopum Senonenſem, ubi una oſtendit, ſibi hunc pontificalium uſum iu Abbatibus diſplicuiſſe.

Schol. Cum offenderentur epiſcopi, quod Abbates, qui geſtandæ mitræ jus habuere, ab iis non diſtinguerentur, ſtatuit Clemens IV., ut in ſynodis *exempti* mitris auriphrigiatis, ſed ſine gemmis laminisque aureis vel argenteis uterentur, *non exempti* vero ſimplicibus albis, & planis.

§. 266. Præcipua etiam Abbates poſt epiſcopos dignitate eccleſiaſtica fulgent. Hinc in conciliis jure ſuffragii potiuntur, (§. 164. Schol.) benedicere poſſunt ea, in quibus chriſma & unctio non intervenit, nec non tonſuram, & minores ordines conferre *ſubditis ſuis regularibus*, non item aliis, ut expreſſe ſtatuit Trid. ſeſſ. 23. cap. 10. de reform.

Corol. Ergo pueris oblatis, & novitiis minores conferre nequeunt Abbates, cum non ſint eorum *ſubditi regulares*.

Schol. Privilegii ſuis ſubditis regularibus conferendi minores ordines Abbatibus conceſſi prima initia poſuit ſynodus Nicæna 2., quæ can. 14. dicit: *Lectoris autem manuum impoſitionem licet in proprio monaſterio etiam ſoli unicuique Præfecto facere, ſi ad ejus præfecturam ab epiſcopo manum impoſitio fiat ipſi præfecto, qui ſcilicet & ipſe eſt presbyter.* Ex quo canone ſatis liquet, Abbatibus tantum poteſtatem datam fuiſſe ordinandi ſuos in monaſterio proprio, at hac limitatione non contenti ejus extenſionem a ſede apoſtolica ſenſim obtinuere, ita, ut non tantum *ſuis* in proprio monaſterio tonſuram conferre poſſint, ſed *omnibus*, in quos eccleſiaſticam, & quaſi epiſcopalem jurisdictionem exercent, obtentis inſuper ſæpe privilegiis omnibus indifferenter eam impertiendi, ut videre eſt in *cap.* Abbates de privil. in 6, quæ tamen. Trid. loco in commate citato revocavit.

ADPLICATIO CAPITIS DECIMI
AD GERMANIAM.

§. 267. Abbates prout in ſpiritualibus aut *mediati* ſunt, ſi non ſunt exempti, ſecus vero *immediati*, ſi immediate Pontifici ſubſunt, ita etiam ratione nexus civilis in imperio romano-germanico illi *immediati*, qui in temporalibus Imperatori & imperio immediate, alii vero, qui ſtatibus imperii ſubſunt, *mediati* dicuntur. Priores rurſus ſunt Principes imperii vel non. Qui in Principum numero cenſentur, rurſus jus habent dandi votum in comitiis imperii *viritim*, vel ſolum *curiatim*.

Schol. Qui curiatim tantum vota dant, in duobus ſcamnis *Suecico* videlicet, & *Rhenano* conſident, Quinam vero viritim, & quinam curiatim in quolibet prædictorum ſcamnorum vota dent, in Reverendiſſ. Abbatis Rautenſtrauch Inſt. juris eccleſ. videri poteſt.

§. 268. Auguſta honorum mariti particeps, non minus ac imperator ſuos habet archiofficiales, (§. 178. Schol.) cujus archicancellarius eſt quondam Abbas, nunc epiſcopus Fuldenſis, archimareshallus Abbas Campidunenſis, & archicapellanus Abbas S. Maximini.

§. 269. Sicut Abbates, item etiam Abbatiſſæ in Germania aliæ *mediatæ* ſunt, aliæ *immediatæ*, ex quibus nonnullæ Auguſtanæ confeſſioni ſunt addictæ.

Digitized by Google

Immediatæ Prælatorum ſcamnis ſunt adnumeratæ, & curiatim cum in iis comitiis aliæ in Suecico, aliæ in Rhenano ſcamno per legatos vota ferunt.

§. 270. Ordines equeſtres, quod adtinet, is, qui teutonicum (§. 262.) dirigit, *magnus ordinis teutonici magiſter* vocatur, atque inter ſtatus imperii eſt relatus, mox poſt Salisburgenſem archiepiſcopum locum tenens. Qui vero Joanniticum ordinem, (§. 261.) regit, *magnus magiſter ordinis Joannitici, ſeu Melitanus*. Ordo Joanniticus diviſus eſt in octo linguas, ſeu nationes, (§. 261.) inter quas in lingua germanica notandus venit *prioratus Germaniæ, & ballivia Brandeburgica*. Qui prioratui Germaniæ præeſt, titulum gerit *ordinis S. Joannis Baptiſtæ Hieroſolym. ſupremi per Germaniam magiſtri* & etiam inter ordines imperii relatus eſt, habens ſeſſionem inter Abbates principalioris dignitatis. Ballivia vero Brandeburgica *magnum magiſterium Domini*, & qui huic regendo præeſt, *magnus dominorum magiſter*, dici ſolet.

JURIS ECCLESIASTICI PUBLICI
SECTIO III.

DE JURIBUS IMPERANTIUM CIRCA SACRA.

CAPUT PRIMUM.

De Juribus Principum circa ſacra in genere.

§. 271.

Illa, quorum unum continet determinationem ſine altero non poſſibilem, ſeu quorum unum ſine altero eſſe nequit, connexa ſunt. (§. 40.) Juxta Optatum Milevitanum eccleſia eſt in republica, eademque perſona, quæ eſt membrum eccleſiæ, eſt ſimul membrum reipublicæ, nequit itaque in præſenti rerum ſtatu eccleſia intelligi ſine civitate, ſeu eccleſia continet determinationem ſine eccleſiæ non poſſibilem, id eſt: *Eccleſia cum republica connexa eſt*.

§. 272. Eccleſia non minus eſt ſocietas, (§. 2.) quam civitas, (§. 39.) Quælibet harum ſocietatum ſuum habet finem. (§. 38. 39.) Cum vero una eademque perſona ſimul ſit membrum eccleſiæ, & civitatis, (§. 271.) ad finem ſocietatis utriusque tendere debet. In mediis quibus utriusque ſocietatis finis obtinendus eſt, vel latet contradictio, vel non. Si alterum, vel ſibi ſimpliciter non contradicunt, vel ſibi inſuper mutuum præſtant auxilium. Pone ex dictis determinationibus qualemcunque velis, jam eccleſia in civitatem influxum quemdam habebit, & relationem, ex qua Imperantibus jura quædam non exurgere non poſſunt, quæ *jura circa ſacra* adpellamus.

§. 273. *In ſtatu naturæ lapſæ homo in vita ſegrege exiſtens ſtatum ſuum externum conſervare, & perficere nequit*. In ſtatu naturæ lapſæ homines ſunt proni ad lædenda officia tam imperfecta, quam perfecta, (§. 23.) ergo homo in *vita ſegrege*, ut ſtatum ſuum externum conſervare, & perficere poſſet, ſufficientibus deberet eſſe inſtructus viribus, vim omnem, quæ eum in τῷ ſuo lædere poſſet, propulſandi. At hoc fieri nequit, quoniam duo, aut tres unius hominis

Digitized by Google

minis vires in vita ſegrege exiſtentis jam ſuperant, ac proin is ſtatum ſuum externum conſervare, & perficere nequit.

§. 274. Cum homo in vita ſegrege ex virium defectu ſe conſervare, & perficere non poterat, (§. 273.) neceſſe fuit ſingulis domuum, ſeu familiarum rectoribus ceterarum familiarum auxilium quærere, & hoc ſibi pacto promittere, quo poſito adeſt ſocietas plurium familiarum ad ſecuritatem obtinendam, quæ ſocietas *anarchica*, ſeu *anarchia* adpellatur, quoniam obligatio ad finem ſocialem non arbitrio Imperantis, ſed ex pactionis natura determinatur, atque adeo eſt ſocietas æqualis.

§. 275. *In ſtatu naturæ lapſæ homo in ſocietate anarchica exiſtens ſtatum ſuum externum conſervare, & perficere nequit.* Ad hoc, ut ſecuritas contra violentas incurſiones obtineri queat, requiritur, ut vires, & voluntates ad eam obtinendam uniantur per media eadem. Atqui in anarchia, dum nemo ab ulterius arbitrio pendet, (§. 274.) aliis alia media ad finem ſocialem obtinendum videbuntur aptiora, quo in caſu nulla habetur unio.

§. 276. *In ſtatu naturæ lapſa homo ſtatum ſuum externum non niſi in ſocietate civili conſervare, & perficere poteſt.* In ſtatu naturæ lapſæ homo ſtatum ſuum externum nec in vita ſegrege ob virium defectum, (§. 273.) nec in ſocietate anarchica ob defectum unionis virium & voluntatum conſervare, & perficere poteſt, (§. 275.) neceſſe igitur ad ſecuritatem obtinendam eſt jura naturalia æqualitatis, & libertatis imperio communi committere, ut ita voluntates ſingulorum totius univerſitatis voluntati ſubjiciantur. At hac ſub determinatione jam adeſt ſocietas civilis, (§. 39.) nullo itaque modo in ſtatu naturæ lapſæ homo ſtatum ſuum externum conſervare & perficere poterat, niſi in ſocietate civili.

§. 277. *In ſtatu naturæ lapſa erectio ſocietatum civilium humano generi jure naturali eſt præcepta.* Homo jure naturali obligatur ſtatum ſuum externum conſervare & perficere, (lemma ex jur. nat.) quoniam vero obligatio ad finem ſimul includit obligationem ad media, ſine quibus finis obtineri nequit, & & quum unicum ſe conſervandi & perficiendi in ſtatu naturæ lapſæ medium ſit ſocietas civilis, (§. 276.) ſequitur id, quod erat oſtendendum.

Corol. Ergo hæc propoſitio: *Quidquid cum fine civitatis conſpirat, faciendum, & quidquid eidem repugnat, omittendum*, vel brevius: *Fini civitatis convenienter vive*, eſt præceptum juris naturalis.

Schol. Non deſunt ex juris publici doctoribus, qui obligationem naturalem erigendi civitates negant: ſed quidquid interim ſit, illud tamen certum eſt, ſocietates civiles juri naturali non repugnare. Fac itaque homines ſponte inire civitatem, tum ſaltem ex pacto ad finem ſocialem ſunt obligati, niſi oſtendi poteſt, Deum per revelationem civitatem prohibuiſſe, ex quo conſequitur: inter officia juris naturalis hypothetica etiam hanc pertinere propoſitionem: *Si in ſocietate civili exiſtis, fini ejus convenienter vive*; id quod ad ſcopum meum ſufficit.

§. 278. Hæc propoſitio: *Cole Deum modo ab eo determinato*, eſt præceptum juris naturalis. (§. 3. & 4.) Etiam hæc propoſitio: *Finis civitatis convenienter vive*, eſt præceptum juris naturalis, ſi non abſolutum, (§. 277. corol.) ſaltem hypotheticum, cum Deus per revelationem civitatem non prohibuerit, (§. 277. ſchol.) Hæc duo, utpote naturalia, ac proin ſimul divina præcepta ſibi contradicere non poſſunt, niſi Deum aut omniſcium, aut ſapientiſſimum eſſe negemus, ut vel neſciat, quæ ſibi contradicunt, vel nos ad impoſſibilia obligare vellet.

§. 279. *Chriſtus eccleſiam ſuam ita inſtituit, ut Deus in ea perfecte coli poſſit, quin civitati detrimenti quid inferatur.* Niſi Deus in eccleſia chriſtiana *perfecte* coli

coli poſſet abſque eo, quod reipublicæ detrimentum inferre ſit neceſſe, hæc propoſitio: *Cole Deum modo ab eo determinato*, huic propoſitioni: *Quidquid bono, & fini civitatis repugnat; omitte*, contradiceret, & ſimul ſtare non poſſent. At nulla in his duabus propoſitionibus eſſe poteſt contradictio, (§. 278.) liquet itaque propoſitum.

Corol. 1. Ergo finis ſocietatis civilis, fini ſocietatis eccleſiaſticæ, & viciſſim contradicere nequit.

Corol. 2. Et quia poſito fine mediorum exiſtentia neceſſario ponenda ſit, eo ipſo quod fines utriusque ſocietatis ſibi non contradicunt, (corol. præc.) idem de mediis erit dicendum.

Corol. 3. Proin recte in eruendis characteribus veræ religionis inter ceteros & iſte eſt adtendendus, utrum illa cum fine civitatis conſpiret, vel eidem contradicat, quod alterum ſi in religione quapiam inveniatur, tuto ad ejus falſitatem concluditur.

Corol. 4. Colligitur porro, eos bonn religionis noſtræ non adeo conſulere, qui talem eccleſiæ adtribuunt poteſtatem, & jura, quæ poteſtati civili in promovendo civitatis fine impedimenta ponunt; præbent enim ita occaſionem religionis noſtræ adverſariis illam tanquam fini civitatis contrariam, ac proin tanquam non divinam proclamandi. Huc quadrat elegans doctiſſimi de Sonnenfels animadverſio, quam in poſit. polit §. 329. ſequentibus ponit verbis: (Germ.) *Doctrinæ chriſtianæ, potiſſimum, vero catholicæ, objectum ſæpe fuit, eam legislationi & civium bono ſe opponere: ingeniola ſunt* (intelligit leves ratiunculas, quibus quidem ex jure divino jus aſyli deducere conabantur) *quæ id ei exprobrant; eo magis itaque refert, iſtiuſmodi audaciam confutare.*

§. 280. *Chriſtus eccleſiæ non dedit poteſtatem condendi leges, aut ponendi actiones civitati noxias.* Leges eccleſiaſticæ, aut actiones membrorum eccleſiæ civitati noxiæ repugnant huic præcepto legis naturalis: *Quidquid fini civitatis repugnat, eſt omittendum*, (§. 277. corol.) atqui id, quod juri naturali repugnat, ſimul repugnat voluntati Chriſti, (§. 19. proleg.) ergo leges, aut actiones eccleſiæ civitati noxiæ Chriſti voluntati ſunt contrariæ, id eſt: eccleſia eas edendi poteſtatem non habet.

Corol. Quod ſi itaque contingeret a Pontifice, aut ab aliis ſuperioribus eccleſiaſticis edi leges, aut poni actiones civitati noxias, illi poteſtate ſua abuterentur, neque exercitium ejusmodi poteſtatis eccleſiaſticæ ad *religionem*, ſed ad *abuſum religionis* ſpectaret.

Schol Ex iis, quæ hactenus in hoc capite ſunt dicta, ſatis adparet, & adhuc ex ſequentibus plus adparebit, jus naturæ non ſine ratione ſufficiente principiis demonſtrandi in jure eccleſiaſtico adnumeratum fuiſſe. (§. 19. proleg. cum ſchol.)

§. 281. Eſſentia imperii civilis conſiſtit in poteſtate media ad finem ſocialem civitatis obtinendum determinandi, removendique impedimenta.

§. 282. Jura illa, quæ rationem ſui ſufficientem in eſſentia imperii civilis (§. 281.) habent, *jura majeſtatica* adpello.

§. 283. Quod rationem ſui ſufficientem in eſſentia entis habet, ejus eſt adtributum, atque adeo ab eo inſeparabile, (per ontolog.) jura majeſtatica rationem ſui ſufficientem in eſſentia imperii civilis habent, (§. 282.) proin indiviſibiliter cum majeſtate, & imperio civili cohærent, & non niſi intereunte imperio ipſo tolli poſſunt.

Corol. Ergo Imperans civilis ſe juribus majeſtaticis abdicare nequit, neque illa ad locum, aut ad tempus reſtringi poſſunt.

§. 284. *Jus introſpiciendi, ne aut cives ſinguli, aut ſocietates particulares in civitate exiſtentes actiones ponant eidem noxias, jus eſt majeſtaticum.* Jus ſupremæ inſpectionis, ne aut ſinguli cives, aut ſocietates particulares civitati evadant noxiæ, fundatur in jure actiones civium ad finem ſocialem dirigendi, ergo fun-

datur

Digitized by Google

datur in eſſentia imperii civilis. (§. 281.) Id, quod rationem ſui in eſſentia imperii civilis habet, jus eſt majeſtaticum, (§. 282.) atque adeo habes id, quod erat oſtendendum.

§. 285. Jus inſpectionis ſupremæ in ſocietates particulares jus *circa ſocietates & collegia* adpellatur, quo jure, cum ſit jus majeſtaticum, (§. 284.) ſe Imperantes ſalva majeſtate abdicare nequeunt. (§. 283. corol.)

§. 286. Eccleſia eſt ſocietas (§. 2.) in civitate exiſtens. (§. 271.) Jus inſpectionis in ſocietates in civitate exiſtentes, eſt jus majeſtaticum, (§. 284.) atque ideo ad jura pertinet majeſtatica inſpiciendi, ne eccleſia civitati evadat noxia.

Corol. Hoc itaque jure ſe Princeps abdicare nequit, (§. 283. corol.) & qui eum in exercitio hujus juris impedit, illum lædit.

§. 287. *Religio eſt efficaciſſimum finem civitatis promovendi medium.* Ad finem civitatis promovendum neceſſe eſt, ut cives omnes actiones bono civitatis repugnantes omittant. Nemo omittit actionem, niſi majora pro omiſſione, quam poſitione ejusdem habeat motiva. (per pſycholog.) Cum homines in ſtatu naturæ lapſæ proni ſint ad lædenda officia tam imperfecta quam perfecta, (§. 23.) ſola repugnantia actionis cum fine civitatis apud pauciſſimos motivum eſt ſufficiens ab ea abſtinendi. Connexio mali cum actione injuſta, ſeu pœna (§. 24.) movet quidem voluntatem ad ejus omiſſionem; at ipſum hoc motivum de ſe quidem efficax, inefficax ſæpius redditur per ſpem pœnam effugiendi, præſertim ſi delicta ſunt commiſſa occulte. Econtra religio hanc ſpem tollit, cum manus ulciſcentis judicis divini effugere nemo valeat. Majus itaque religio præbet motivum ab actione fini civitatis repugnante abſtinendi, quam pœnæ temporales, atque adeo aptiſſimum ea eſt medium finem civitatis promovendi.

Schol. Finis civitatis eſt felicitas externa (§. 39.) ad felicitatem cujuſcumque generis obtinendam requiritur habitus obligationibus ſuis ſatisfaciendi. Habitus obligationibus ſatisfaciendi dicitur virtus; ergo ad felicitatem externam obtinendam eſt neceſſe, ut cives colant virtutem, ibi vero virtus maxime colitur, ubi religio floret. En! alterum ratiocinium, quo religio fortiſſimum civitatis vinculum eſſe oſtenditur. (Germ.) *Inter media efficaciſſima* (ait de Sonnenfels in poſit. polit. §. 90.) *quibus moralis bonus ſtatus obtinetur, primum religio procul dubio meretur locum. Hæc enim dulciſſimum ſocietatis eſt vinculum: venerabilibus præceptis virtutem docet, ad hanc exercendam incendit promiſſionibus animum, minisque a vitio abſterret; vel eum, per pœnitentiam quam ipſa peccatori inculcat, meliorem reddit. Religio ſupplet quod legislationi deficit. Ubi legislatoris oculus, imo & judicis pœna, aſſequi nihil poteſt, religio eſt præſens, ne homines prava aggrediantur.*

§. 288. *Jus ſupremæ advocatiæ eccleſiæ, & tuitionis fidei jus eſt majeſtaticum.* Jus efficiendi, ne efficaciſſimum finem civitatis promovendi medium, fruſtretur rationem ſui in eſſentia imperii civilis habet, (§. 281.) atque adeo eſt jus majeſtaticum. (§. 282.) Religio eſt efficaciſſimum finem civitatis promovendi medium, (§. 287.) adeoque ad jura pertinet majeſtatica efficiendi, ne medium hoc fruſtretur, & inane reddatur. Hoc autem fit, ſi Imperans ſupremus eccleſiæ advocatus, fideique defenſor exiſtit.

Schol. 1. Qui obligatur ad finem, etiam obligatur ad media. Imperans tenetur promovere felicitatem externam, proin etiam promovere religionem tanquam medium ad finem civitatis obtinendum; promovet vero religionem; ſi eam ſua authoritate commendat, & defendit. Neque Patresfamilias, dum in ſocietates coivere civiles ad religionem minus obligari aut voluiſſe, aut potuiſſe cenſendi ſunt. (Germ.) *Imperans debet etiam* (pergit de Sonnenfels loco antea citato) *ſedulo animadvertere ut nullus civis religione haud*

haud careat. Hinc patet, ſpiritu liberos politici criminis reos eſſe, qui Statui media cives ad perfectionem ducendi quodammodo adimunt. Ex opinione, quod nullus ſit Deus, oritur inobedientia & ſeditio.

Schol. 2. Agnovit hanc Principum obligationem defendendi religionem etiam antiquitas; ſiquidem S. Aug. edixit: *In hoc Reges terræ ſerviunt Chriſto, etiam leges ferendo pro Chriſto*; & Leo M. Pontif. ad Leonem Aug. ſcripſit: *Debes Imperator incunctanter advertere regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad eccleſiæ præſidium eſſe collatam.*

§. 289. *Principium cognoſcendi jura Principum circa ſacra eſt jus ſupremæ inſpectionis, ne eccleſia reipublicæ evadat noxia, cum jure ſupremæ advocatiæ eccleſiæ, ac tuitionis fidei.* Omnia jura Principum circa ſacra rationem ſui habent in influxu, & relatione eccleſiæ ad civitatem. (§. 272.) Eccleſia ad rempublicam hanc habet relationem, ut religio fini civitatis non tantum non contradicere poſſit, (§. 278. & 279. corol. 1.) ſed inſuper aptiſſimum ſit illum promovendi medium. (§. 287.) Ex eo, quod eccleſia fini civitatis contradicere nequeat, jus ſupremæ inſpectionis, & ex eo, quod religio ſit aptiſſimum promovendæ felicitatis externæ medium, jus ſupremæ advocatiæ oritur. Sub his itaque duobus principiis omnia jura Principum circa ſacra continentur, & ex iis deduci poſſunt.

Corol. Quoniam jus Supremæ inſpectionis, cum jure ſupremæ advocatiæ ſint jura majeſtatica, (§. 286. & 288.) idem de juribus circa ſacra *in ſpecie* erit dicendum, quorum proin nullo ſalva majeſtate ſe abdicare poſſunt Imperantes. (§. 283. corol.)

CAPUT SECUNDUM.

De juribus Principum circa ſacra in ſpecie.

§. 290. Religio eſt determinatus Deum colendi modus. (§. 2.) Colimus Deum, ſi aſſenſum præſtamus veritatibus ab eo revelatis, & motiva agendi ex perfectionibus ejus deſumimus. (§. 10.) Hoc fieri nequit, niſi dogmata, (§. 10. corol.) & perfectiones Dei cognoſcantur. Quum itaque Imperans, qua ſupremus eccleſiæ advocatus, religionem promovere teneatur, (§. 288. cum ſchol.) ſimul jus & obligationem habet invigilandi, ut ſubditi in religione rite & ſatis inſtruantur.

Schol. (Germ.) *Villicos religione inſtitui ſummopere intereſt. Ut etiam hyemali tempore adire templum queant, nimis lata non ſit parochia*... De Sonnenfels in poſit. polit. §. 92.

§. 291. Obligatio populum in fide erudiendi miniſtris religionis competit. Quia vero Imperans jus & obligationem habet invigilandi, ut populus ſufficienter in fide inſtruatur, (§. 290.) jam liquet, eum jus habere miniſtris religionis præcipiendi, ut obligationem ſuam, & munus id, ob quod in republica hoc vitæ genus profitentur, rite adimpleant.

Corol. Cum nemo alterum in officiis religionis erudire valeat, niſi ipſe ſufficienter ſit inſtructus, Imperans etiam jus habet urgendi, ut antea neceſſariis tanto muneri ſint imbuti ſcientiis religionis miniſtri.

§. 292. Quia Imperans tenetur religionem conſervare, & promovere, (§. 288.) etiam jus habet removendi impedimenta, iisque præcavendi. Per hæreſim, aliasque contra bonos mores doctrinas religio ſubvertitur, proin jus habet præcavendi, ne hæreſes in ejus territorio oriantur, ortasque tollendi.

§. 293. Per lectionem librorum religioni pernicioſorum hæreſis oriri poteſt. Im-

Imperans jus habet præcavendi, ne hæreſes in ejus territorio oriantur, (§. 292.) ergo jus prohibendi libros fidei, bonisque moribus pernicioſos eidem competit.

Schol. Celebriores juris periti (ait doctus quidam Germ. anonymus) *demonſtrant, jus libros prohibendi apud Principes eſſe, ut ex Imperantium continua praxi a Conſtantino uſque ad Carolum Quintum certo conſtat.* Vide *Van Eſpen, nec non Sarpi & de Real.*

§. 294. Quod ſi animadvertit Imperans diſſidia circa religionem in ejus territorio gliſcere, ejus erit officii, ut in ipſo ſuffocetur flamma ortu *inſtituendo colloquia* ad concordiam inter diſſidentes reducendam, & ſiquidem diſputationes theologicæ mali radix eſſent, iis *imponendo finem*.

Schol. Si Fridericus (ait anonymus citatus) *Saxoniæ Elector, ex propria autoritate, indulgentiarum prædicationem in ipſo ortu vetaviſſet ac finem illiuſmodi controverſiis impoſuiſſet, Lutheri calamus evanuerit, nec in eccleſia magnum illud ſchiſma, nec Germaniæ provinciis tot calamitates interfuerint*. Huc pertinet celebris illa anno 1548. conſilio prudentum theologorum a Carnlo V. promulgata religionis formula, *Interim* adpellata, in qua, quibus legibus exercitium ritus ſui proteſtantibns permitteretur, uſqne dum certum qnid a concilio Tridentino conſtitutum eſſet, definiebatur.

§. 295. Jus ad finem dat jus ad media. Imperans jus habet diſſenſui circa religionem in ſuo territorio præcavendi, ortumque tollendi, (§. 292.) ergo etiam media ad hunc finem neceſſaria habere debet. Fac omnia reliqua media ad conſenſum reſtituendum eſſe inefficacia, nihilque aliud intereſſe præter concilii definitionem, & intelliges, Imperantibus jus eſſe concilium ex epiſcopis in illius territorio exiſtentibus convocandi.

Schol. Per accidens contingere poteſt, ut Imperanti etiam competeret jus convocandi concilium generale, ſi nimirum omnes epiſcopi totius orbis chriſtiani in unius territorio & poteſtate exiſterent, id quod revera factum fuit in primis octo generalibus conciliis ab Imperatoribus convocatis. Non tamen ideo exiſtimes, jus convocandi concilia œcumenica jus primatus eſſentiale eſſe non poſſe, (§. 78. cum Schol.) ſi idem etiam Imperantibus civilibus certis in circumſtantiis tribuatur; nam Pontifices hoc jus habent ex *regimine eccleſiaſtico ad conſervandam unitatem in tota eccleſia*, nihil adtendendo, utrum ea ſe in unius territorii finibus contineat, aut in plura regna ſit diffuſa. Econtra Imperantibus jus hoc non competit ex regimine eccleſiaſtico, ſed *ex jure protectionis*, non ad conſervandam in tota eccleſia unitatem, ſed ne per religionis diſſidia pax reipublicæ turbetnr, & hoc tunc tantum, ſi in unius territorio univerſa eſt incluſa eccleſia. Poterant ergo prima octo concilia generalia etiam a Pontificibus convocari, at quoniam quædam rationes politicæ autoritatem Imperatorum iis temporibus fecerant neceſſariam, negotium hoc illis permiſere Pontifices, immo ipſemet Leo Pont. ad Theodoſium Imp. ſcripſit, *ut ſuggeſtioni, ac ſupplicationi dignetur annuere, & intra Italiam haberi jubeat epiſcopale concilium*. Rationes porro politicæ, ob quas Pontifices Imperatoribus convocationem primorum octo conciliorum generalium permiſerint, tres enumerantur, nempe ut primo eccleſiæ temporali urbis alicujus, aut provinciæ dominio carenti locus aliquis ab Imperatoribus aſſignaretur ad celebrandum concilium. Secundo, ut litteris *tractoriis*, & publicis expenſis deducerentur, & alerentur epiſcopi in concilio congregati. Tertio, ne autoritas conciliorum vileſceret, ſi abſque conſenſu Imperatoris congregata eſſent, cum legibus imperii prohibitum fuerat, ne ulli conventus ſine licentia, & conſenſu cæſareo celebrarentur.

§. 296. *Diverſitas religionum in eadem civitate ſecuritati internæ noxia eſſe poteſt*. Quilibet eſt in perſuaſione, religionem illam, quam profitetur, eſſe veram. Ex hac perſuaſione judicat ceteros, quorum religio a ſua diſcrepat, Deo non præſtare eum cultum, quem præſtare deberent. Ex hoc judicio illis aliquid ineſſe putat, quod eſt averſandum. Dum aliquid aliis ineſſe intelligimus, quod averſamur, illos odio habendi proni ſumus. Illi, quem odio habemus, proni

Digitized by Google

ſumus inferre malum; ergo cives diverſæ religionis in eadem civitate facile conatum ſibi invicem inferendi malum habere poſſunt. Ubi cives habent conatum ſibi invicem inferendi malum, non adeſt ſtatus, in quo nihil mali timendum habent. Si ſtatus is non adeſt, neque adeſt ſecuritas. (§. 39.) Diverſitas itaque religionum in eadem civitate, etſi non ſemper ſecuritatem neceſſario turbare debeat, nihilominus tamen eam quandoque, & certis ſub determinationibus turbare poteſt, ut patet ab experientia.

Schol. Videatur juriſprud. univ. Joach. Georg. Daries §. 876. edit. 7.

§. 297. *Imperans Jus habet veræ Religionis impugnatores non tolerandi, & ſi modus lenior non ſufficit, eos pœnis civilibus perſequendi.* Imperanti jus competit invigilandi, ne aut cives, aut ſocietates particulares civitati evadant noxiæ. (§. 284.) Cives, qui veram religionem impugnant, ſecuritati internæ obeſſe poſſunt, (§. 296.) eosque ſæpius obſuiſſe experientia docet, ergo Imperans jus habet eos non tolerandi, id quod erat primum.

Impugnatores veræ religionis & religionem, & rempublicam turbant. Quia vero Imperans jus, & obligationem habet, tum rempublicam (§. 284.) tum religionem defendendi, (§. 288. cum ſchol.) illud otioſum, & inefficax eſſe nequit, eſſet vero tale, niſi tum, dum modus lenior non ſufficit, eos pœnis civilibus proſequi poſſet, id quod erat alterum.

Corol. Ergo alienæ religionis conſortibus, ut in aliam territorii partem ſecedant, aut ex toto emigrent territorio jubendi Jus habet Imperans.

Schol. 1. Neque dicas: religionem in actibus internis intellectus & voluntatis externæ violentiæ neſciis conſiſtere, & *autonomiam*, ſeu liberttatem conſcientiæ lædi, ſi pœnis perſequi alienæ religionis conſortes liceret; nam libertas conſcientiæ, quæ cuivis per imperium civile ſalva eſſe debet, non in eo conſiſtit, ut alios quoque impune ſeducere, & rempublicam turbare liceat, ſed tantum in eo, ut quis ad illam religionem, de cujus veritate nondum convictus eſt, pro vera agnoſcendam vi externa adigi nequeat. Minime vero omnium favor hujus libertatis tunc prætexi poteſt, quando non tam intellectus, quam voluntatis defectus, & mera malitia ſubverſatur, alioquin, ſi id univerſim valeret, Principem nullum poſſe cogere, ut eam religionem pro vera agnoſcat, de cujus veritate convictus non eſt, omnibus ſentiendi libertas pro lubitu hoc ſub prætextu panderetur, ſicut omnibus via panderetur denegandi Imperanti ſervitia militaria, ſi diceretur: neminem ab Imperante ad bellum cogi poſſe, quod injuſtum eſſe a ſubditis exiſtimatur.

Schol. 2. Etiam id inde, quod Princeps jus habeat, non tolerandi a vera religione alienos, conſequi videri poſſet, quod eodem modo gentilibus doctores catholicos excludere a ſuo territorio liceret. Ad quod ajo: poſſe illos excludere doctores catholicos, & prædicatores evangelii, dum rebellionibus fomitem præbent, a quibus vera religio abhorret. Eo ipſo enim, quod ſeditiones excitent, jam non ſalutem animarum pro fine habent. Ceterum tenentur gentiles, priuſquam eos ejiciant, de doctrinæ veritate cognoſcere, qua cognita eam repudiare æque inſanum foret, ac ineptum eſſet bonas artes, agriculturam, medicinam, aut matheſim eliminare.

§. 298. Ex duobus malis, quorum utrumque vitari nequit, licite permittitur minus ad evitandum majus. Fac tales adeſſe determinationes, ut tolerantia religionis falſæ ſit minus malum, quam non - tolerantia; tunc licitum erit Principi ſubditis ſuis a vera religione alienis liberum ſacrorum ſuorum exercitium permittere. Quod ſi *norma*, & *modus* tolerantiæ mali alias inevitabilis avertendi cauſa pactis, & legibus determinetur, erit tolerantia *juſtitiæ*, ſecus *gratiæ*.

Corol. Jus inſpiciendi, ne eccleſia civitati evadat noxia, jus eſt majeſtaticum, (§. 286.) quod ſi itaque Princeps civibus a vera religione alienis, atque adeo eccleſiam falſam con-

Digitized by Google

conſtituentibus ſive ex tolerantia juſtitiæ, ſive ex tolerantia gratiæ liberum ſacrorum ſuorum exercitium permittit, nihilominus illi jus ſupremæ inſpectionis, ne civitati evadat noxia, competit, etſi ipſe non ſit ejuſdem religionis.

Schol. Exemplum tolerantiæ *juſtitiæ* habemus in Germania, ubi pacto & lege publica proteſtantibus & reformatis religionis ſuæ exercitium eſt permiſſum, (§. 44. & 46. proleg.) exemplo vero tolerantiæ *gratiæ* nobis Judæi ſunt in terris chriſtianorum hinc inde tolerati. Neque dicas Judæis exercitium ſuæ religionis licite non poſſe permitti ea ex cauſa, quod cives a vera religione alienos tantum in caſu neceſſitatis tolerare liceat, nam hoc in Judæis locum habere nequit, quia illi religioni noſtræ in tantum ſunt utiles, in quantum ritus judaici tanquam figura veritatem evangelii tanquam figuratum confirmant, debentque nobis eſſe teſtimonio, nos prophetias de Chriſto non confinxiſſe, qua ex cauſa ad mentem S. Aug. etiam per totum orbem eos Deus diſpergi voluit. Quod ſi quis inferre vellet, Judæos tolerare non licere propterea, quod ſint pejores paganis juxta illam Chriſti comminationem Judæis factam, quod in die judicii tolerabilius ſit futurum Sodomis, quam illis, reſpondeo nihil ad rem adtinere, ſive Judæi paganis ſint pejores, ſeu non, cum nos liceitatem illos tolerandi non a gradu malitiæ, ſed ab utilitate, quæ in religionem noſtram dimanat, deducamus.

§. 299. *Princeps catholicus gentiles, & Hæreticos ſibi non ſubjectos tolerare tenetur, atque adeo contra illos jur belli non habet.* Etſi enim Princeps catholicus jus habeat non tolerandi exercitium falſæ religionis in ſuo territorio, (§. 297.) tamen iſtud ſe ad gentes exteras non extendit; nam in ſtatu naturali unus ab altero cogi nequit, ut expleat officia ſibi debita, quia ea non adimplens alterum non lædit eo ipſo, quod *n.* alterius haud minuat, ſecus enim tolleretur ſtatus æqualitatis, & unus haberet jus perfectum in actiones alterius. Inde autem porro conſequitur, neque ad officia Deo debita quemquam in ſtatu naturali cogi poſſe, ex eadem ratione, quia jus perfectum in alterius actiones nemo habet. Jam vero unus populus ad alterum æque ſe habet, ſicut unus homo ad alterum in ſtatu naturali. Qui enim inierant civitatem, voluntatem quidem ſuam ſubmiſere voluntati totius ſocietatis, at relate ad extraneos in ſocietate eadem non exiſtentes nullum initum eſt ſubjectionis, & unionis pactum; ergo Imperans catholicus gentes exteras cogere nequit, ut idem de Deo credant, quod ipſe, id eſt: falſa religio jus belli non dat.

Schol. Solam religionem cauſam belli juſtificam non eſſe, etiam decretaliſtæ ajunt, at ſimul hanc ponunt limitationem (uti legere eſt apud Reiffenſtuel lib. 5. tit. 6.) tum juſte bellum inferri infidelibus, dum prædicatores evangelii ſuſcipere nolunt, aut eos ejiciunt; atque ita, quod una manu ponunt, altera iterum deſtruunt. Cum enim ſere ſemper infideles prædicatores evangelii rejiciant, etiam ſere ſemper jus belli adeſſet. Quid, quod hoc poſito etiam gentiles uti poſſent repreſſaliis, & contra nos bellum movere, ſi eorum doctores ad nos miſſos ejiceremus? Peccare igitur infideles non admittendo prædicatores evangelii lubens admitto, at propterea jus belli contra illos aſſerere ſententiæ Chriſti repugnat dicentis ad apoſtolos: *Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.*

Schol. 2. Neque hæreſim cauſam eſſe belli juſtificam admittunt medii ævi, canoniſtæ, at ſimul Reiffenſtuel hanc ponit limitationem, poſſe Imperantes catholicos contra hæreticos bellare autoritate, & conceſſione Pontificis, quum per baptiſmum ejus fiant ſubditi, quos tanquam rebelles ſeu per ſe, ſeu per alium (nimirum per Imperantes civiles dando iis poteſtatem illos debellandi) coercere poteſt. Verum hæc argumentandi ratio ea adhuc redolent tempora, in quibus jus indirectum in temporalia aſſertum eſt. Cum enim putabatur poſſe Pontificem dethronizare Imperantes, ſi a fide defecerint, etiam pronum erat aſſerere, poſſe eum hæreticos ſuis regnis privare, ad quod, cum propriæ vires illi deſint, implorandam eſſe imperatoriam opem. At ſecundum noſtra principia omnis poteſtas Pontificis contra hæreticos tanquam ſubditos rebelles eſt poſita in jure cogendi eccleſiaſtico, quod in ſola privatione ſacrorum conſiſtit, (§. 32.) atque adeo nullum jus belli poſt ſe trahit.

§. 300. *Imperans legatis primi ordinis, qui cum charactere repræſentativo mittuntur, liberum religionis etiam falſæ exercitium permittere tenetur.* Legatus primi ordi-

Digitized by Google

ordinis cum charactere repræſentativo miſſus, eadem libertate gaudet, quam gens ipſa, quam repræſentat, neque ſubditus ejus Principis, in cujus territorio degit, cenſetur, dum fictione quadam extra territorium exiſterere dicitur, cujus conditio *extraterritorialitas* adpellatur. Atqui Imperans catholicus gentibus exteris, & ſibi non ſubditis liberum religionis etiam falſæ exercitium permittere tenetur, (§. 299.) idem itaque de legatis primi ordinis dicendum.

Corol. Quæ de legato ipſo dicta ſunt, etiam ad totum ejus comitatum extendi debere, facile intelligitur.

Schol. Etſi more gentium antiquo legati duntaxat ad certa negotia peragenda miſſi fuerint, quibus finitis abitum pararunt, tamen moribus invaluit recentioribus, ut perpetuæ, & ſtationariæ haberentur legationes, ut ſemper præſto ſint in aulis Principum, qui commodis ſuæ reipublicæ invigilare queant. Hiſce legatis ſpeciale nomen *reſidentium*, ſeu *legatorum ordinariorum* tribui ſolet. His non æque ac legatis primi ordinis liberum religionis exercitium permitti debere, quidam aſſerunt. Ego ſuſpenſo judicio nil niſi controverſiam adducam, quam magiſtratus Colonienſis cum reſidente Boruſſiæ anno 1708. circa hanc rem habuit. Cum enim prædictus magiſtratus ei religionis ſuæ exercitium negaſſet, jus gentium violatum fuiſſe ajebat; at reſpondit magiſtratus, jus gentium in imperio romano germanico non ita uniformiter & univerſaliter receptum eſſe, ut quivis ſtatus imperii alterius legatum, & reſidentem recipere, neque aut lege particulari, vel publica, aut omnium ſtatuum uniformi conſenſu introductum eſſe, aut ſtatus imperii quivis teneatur alterius religionis exercitium in perpetuum reſidenti admittere. Provocat ad hoc oſtendendum magiſtratus ad exempla, & acta comitialia anni 1654. in quibus habetur, quod Ferdinandus III. ſtatibus evangelicis exercitium religionis pro reſidente petentibus denegaverit. Et cum anno 1658. introductis capitulationibus cæſareis ſtatus evangelici peterent, ut reſidentibus, & agentibus in aula cæſarea prædicatio, & adminiſtratio ſacramentorum concederetur, hæc petitio ab electorali collegio eſt rejecta. nec capitulationi inſerta. Hæc tamen controverſia poſtea deciſa eſt amicabili compoſitione anno 1709. conceſſumque a magiſtratu Colonienſi reſidenti Boruſſico exercitium domeſticum religionis reformatæ per mediatores, & interceſſores ſtatuum imperii.

§. 301. Hæc propoſitio: *Quidquid fini civitatis repugnat, eſt omittendum*, juris naturalis eſt præceptum, ſi non abſolutum, (§. 277. corol.) ſaltem hypotheticum, (§. 277. ſchol.) ergo etiam hæc propoſitio præceptum eſt juris naturalis: *Omitte omnia pacta & vota civitatis noxia*. Jus determinandi quædam pacta & vota ſint noxia civitati, Imperanti competit, (§. 281.) is itaque jus habet omnia pacta, & vota civium, etſi relationem ad religionem habeant, examinandi, eaque, ſi reipublicæ nociva deprehendantur, irritandi.

Schol. Maritum habere poteſtatem irritandi vota uxoris ſuæ, ſi familiæ, & rei domeſticæ ſint noxia: conſentiunt omnes, cur ergo eadem poteſtas non etiam Imperantibus competere deberet, cum ii æque bonum ſocietatis, ſicut paterfamilias bonum ſocietatis domeſticæ promovere teneantur? Dein votum civitati noxium nequidem poteſt eſſe validum. Eſt enim votum vi definitionis communiter receptæ, promiſſio libera Deo facta de *bono meliori*. Fac jam aliquem vovere rem civitati noxiam, promittet rem huic præcepto naturali repugnantem, *quidquid civitatis fini repugnat, eſt omittendam*; atque non rem de bono meliori, ſed rem illicitam, quam Deus nec acceptat, nec acceptare poteſt.

§. 302. *Emiſſio votorum religioſorum ætate nondum ſatis matura facta certis in circumſtantiis & ipſis ordinibus religioſis, & civitate noxia eſſe poteſt*. Vota religioſa ſunt vinculum indiſſolubile. Si illa ætate nondum ſatis matura emittantur, difficultates cum iis connexæ non ſatis perſpiciuntur. Quod ſi dein judicium matureſcat, jugum, quod deponi jam nequit, intolerabile evadit, & officia ſtatus ab ejuſmodi religioſis non niſi coacte, neque eo cum fervore, quo deberent, peraguntur. Pone jam quoddam monaſterium, in quo plerique tales ſunt, quos emiſiſſe vota pœnitet, & edic, num non bonum ipſorum ordinum

reli-

Digitized by Google

religioſorum inde detrimentum patiatur? Civitas vero tot membra perdit, quæ cum votis ſint ligata, jam inhabilia redduntur ad conjungendas vires ſuas pro bono communi quoniam reipublicæ neceſſitatibus adplicari nequeunt.

Schol. (Germ.) *Status intereſt* (dicit eleganter de Sonnenfels in *Homine ſine præjudicio*) *ut hujuſmodi immaturæ ſententiæ eliminentur. Ante* 24. *annum haud licet juveni de ſuis bonis diſponere: quid, ſi de jugo per totum vitæ ſuæ curriculum indiſſolubili diſponere velit?* Vide meum jus eccleſ. germanicum.

§. 303. *Si numerus vota religioſa emittentium plus juſto excreſcat, & civitas, & ipſi ordines religioſi detrimentum ſentiunt.* Finis civitatis eo perfectius obtineri poteſt, quo plures ſunt cives, atque adeo numerum civium augendum, omniaque impedimenta, quo minus id fiat, removenda eſſe, recte tradunt juris publici doctores. Jam vero ſtatus cœlebs, quem profitentur religioſi, augmentum civium impedit, ac proin ſi plus juſto numerus illorum excreſceret, civitati eſſet noxium. Dein pone juſto majorem in civitate eſſe numerum religioſorum, multa illa perdet membra, quæ agriculturæ, militiæ, fabricis, manufacturis, aliisque ejus neceſſitatibus eſſent adplicanda, atque ita æquilibrium inter nutrientes & conſumentes abſtuliſti. Vides itaque conſequi id, quod erat primum.

Præterquam quod raritas æſtimationem augeat, etiam facilius, & majoribus ſtipendiis reſpublica religioſos alere poteſt paucos, idque præcipue in illis, qui ex modo vitæ quærendæ *mendicantes* dicuntur, locum habet. Cum enim hi eleemoſynis ſe ſuſtentent, eo major portio ex ea cuilibet continget, quo pauciores exiſtunt. Ipſum itaque ordinum religioſorum exigit commodum, ne numerus eorum convenientem excedat modum. Id quod erat alterum.

Corol. Cum etiam miniſtri religionis vitam agant cœlibem, & neceſſitatibus reipublicæ adplicari nequeant, intelligitur, civitati eſſe noxium, ſi plures exiſtant, quam qui ad curam animarum peragendam requiruntur.

§. 304. Imperanti jus eſt examinandi vota civium, eaque ne modo civitati noxio emittantur prohibendi. (§. 301.) Eſt civitati noxium, ſi vota religioſa emittantur ætate nondum ſatis matura, (§. 302.) aut ſi numerus emittentium convenientem excedat motum, (§. 303.) nihil itaque dubii relinquitur, Imperantem jus habere prohibendi utrumque.

Corol. 1. Cum Deus perfecte in eccleſia Chriſti coli poſſit, abſque eo, quod opus ſit civitati detrimenti quid inferre, (§. 279.) & cum omnes actiones civitati noxiæ legi naturali, ac proin etiam voluntati Chriſti repugnent (§. 280.) etiam emiſſio votorum religioſorum modo civitati noxio facta voluntati Chriſti repugnat. Quia vero imperantis eſt determinare actiones civitati noxias, (§. 281.) ejus ſimul eſt declarare, qui modus vota religioſa emittendi ob detrimentum inde in civitatem manans voluntati Chriſti repugnet, cui declarationi proin ſubditi in conſcientia obedire tenentur.

Corol. 2. Cum etiam civitati noxii ſint plures religionis miniſtri, quam qui ad munia ſacra obeunda ſunt neceſſarii, (§. 303. corol.) non minus juris de illorum numero, quam de numero religioſorum & monialium Imperanti competit.

Corol. 3. Cum jus ad finem jus tribuat ad media, etiam intelligitur Imperantem jus habere talia determinandi media, quibus efficitur, ne plures exiſtant in civitate religionis miniſtri, quam qui ſunt neceſſarii. Medium hoc efficiendi aptum, & in antiqua eccleſia uſitatum eſt, ſi nullus ordinaretur, niſi adſit beneficium, ad quod ordinari poſſet, (§. 160.) atque adeo in Imperantis eſt poteſtate pro ſuo territorio veterem hanc diſciplinam revocandi.

Schol. Conformiter ad ea, quæ de ætate vota religioſa emittentium dicta ſunt, Auguſta Imperatrix Maria Thereſia 17. Octobris anno 1770. prohibuit, ne ante annum 24. completum emittantur.

§. 305.

§. 305. Non ſolum numerus miniſtrorum religionis, ſed etiam qualitates illorum civitati noxiæ eſſe poſſunt; quoniam non repugnat, ut aliqui dignitate eccleſiaſtica in reipublicæ detrimentum abuti incipiant. Cum autem uſus poteſtatis eccleſiaſticæ in detrimentum civitatis non ad religionem, ſed ad abuſus ejusdem pertineat, (§. 280. corol.) & Imperantis ſit, ejusmodi abuſus impedire, (§. 281.) jam liquet, eum non ſolum numerum religionis miniſtrorum determinare, (§. 304. corol. 2.) ſed etiam in electionibus ad dignitates eccleſiaſticas *excluſivam* dare poſſe iis, a quibus reſpublica nil boni ſibi expectandum habet.

Corol. Quia jus, & obligatio Imperantis omne damnum a civitate avertendi neque ad locum, neque ad tempus reſtringi poteſt, (§. 283. corol.) etiam ad electionem Pontificis ſe jus excluſivam dandi extendit. *Si Cardinalis, ad Sedem Pontificiam evehendus, Cæſari* (ait Hubnerus in ſuo Lexico) *aut Hiſpanico vel Gallico Regi non convenit, proteſtantur contra ejus electionem Cardinales nationales, unde fit quod de candidato illo haud amplius cogitetur.*

Schol. Antiquus eſt mos, ut Imperantis *Commiſſarii* ad electiones perſonarum eccleſiaſticarum mitti ſoleant, quibus non tantum incumbit perſonæ electæ adminiſtrationem temporalium nomine Imperantis committere, ſed etiam ipſi invigilare electioni, ne in ea quidquam in reipublicæ præjudicium contingat, aut vota in perſonam civitati periculoſam cadant. Aug. Imperatrix Maria Thereſia 20. Martii anno 1772. prohibuit, ne ad ſuperiorem monaſterii & proin multo minus totius provinciæ aſſumatur extraneus in terris hæreditariis non natus. Et cum Elector Bavariæ vi decreti 20. Decembris anno 1768. dati omnes exteros, ac proin etiam Auſtriæ ſubditos pro inhabilibus ad beneficia eccleſiaſtica in Bavaria exiſtentia declaraſſet, niſi ſe antea pro indigenis declarari curaverint, etiam Imperatrix Maria Thereſia reſpectu ad ſubditos Bavariæ 11. Aprilis anno 1770. idem decrevit.

§. 306. Chriſtus eccleſiæ quidem dedit poteſtatem edendi determinationes mutabiles, ſeu diſciplinares, (§. 17. corol.) ſed tantum tales, quæ civitati non ſunt noxiæ. (§. 280.) Fac jam eccleſiam edere determinationes civitati noxias, tum poteſtate ſua abutetur, (§. 280. corol.) & jura majeſtatica lædet, (§. 286. corol.) Si imperans jura majeſtatica contra eccleſiam defendit, illam non lædit, quia ſe iis abdicare nequit. (§. 283. corol. & §. 286. corol.) Inde vero conſequitur, Imperantem jus habere prohibendi, ne bullæ eccleſiaſticæ diſciplinares promulgentur antea, quam ab illo, utrum nihil civitati noxium contineant, ſint inſpectæ.

Corol. Inde ſatis intelligitur, promulgationem legis pontificiæ ſolum Romæ factam ad obligationem non ſufficere. Vide §. 85. Schol.

§. 307. Inſpecta lege eccleſiaſtica, ſi illa nihil reipublicæ nocivum continet, Princeps dat litteras *placiti*, ſive, ut alii loquuntur, litteras *pareatis*, vel *exequatur*, quibus permittit publicationem, & executionem legis. Vocantur autem litteræ *placiti*, ut ſignificetur, legem eccleſiaſticam per Principem, ejusque curiam diſcuſſam ipſi non diſplicere, adeoque placere, ut executionem in ſuis ditionibus obtineat. Atque inde ſimul adparet, cur ſcholæ jus Principum prohibendi, ne ante illorum conſenſum lex eccleſiaſtica promulgetur, *placitum regium* adpellent.

Schol. Uſum placiti regii non a recentioribus juriſconſultis Principibus adulandi cauſa fuiſſe excogitatum, ſed eſſe antiquiſſimum hiſtoria docet. Nam apud Belgas jam pridem illud exercitum fuiſſe teſtis eſt Didacus Covarruvias, qui a ducentis annis ſcripſit: referens enim verba cujusdam auctoris, qui exprimit varia regna, in quibus hic uſus obtinet, concludit: Ex quo adparet, non tantum in Hiſpania, ſed etiam in Flandria, & apud Gallos hoc ipſum frequentiſſime fieri, nimirum executionem, & publicationem diplomatum curiæ

riæ romanæ ſuſpendi, quousque apud ſuprema regis auditoria recognita fuerint. Viguiſſe eundem uſum apud Germanos, probat, id quod circa bullam *cœnæ Domini* factum eſſe anno 1586. narratur autoritate Rudolphi II. Imp., qui legatum apoſtolicum ab ejusdem promulgatione prohibuit, quam in Bohemia jam cœperat inſinuare cum perturbatione ſtatus illius regni, & hac occaſione generaliter interdixit, ne ullæ bullæ pontificiæ deinceps, niſi ſe conſcio, & probante in lucem emitterentur. In hiſtoria Joannis II. Luſitaniæ Regis refert Auguſtinus Manuel eques ordinis Chriſti, hunc Luſitaniam morem tenaciſſime ſemper coluiſſe, ut regni cancellarius cum ſecretario non tantum bullas pontificias, ſed etiam mandata omnia eccleſiaſtica cognoſceret, neque antea ſinerentur effectum ſortiri, quam ex ſubſcriptione ſecretarii liqueret, nullum præjudicium fieri regiæ autoritati. De uſu placiti vigente in ducatu Brabantiæ teſtis eſt Argentreus lib. 2. hiſt. cap. 14. ibidem narrans: Edixiſſe Petrum II. Brabantiæ ducem ſub pœna corporis, & confiſcatione bonorum, ne bullæ quæcunque in publicum ducatus ſui prodirent, antequam examinatis in ſuo conſiſtorio ipſe annueret. Tandem in regno Neapolitano, quamvis nexu feudali Sedi apoſtolicæ obnoxio, hunc uſum probat vel ſola illa Pragmatica data 30. Auguſti anno 1561., qua declaratur, litteris curiæ romanæ inſertum, *quod ſola publicatio Romæ facta ad obligationem ſufficiat*, habendum eſſe pro clauſula nullius effectus.

§. 308. *Ablato placito regis & imperium civile, & eccleſia illa, quam Chriſtus inſtituit, tollitur.* Ablato placito regio Imperans promulgationem omnium legum eccleſiaſtiaſticarum civitati noxiarum admittere debet. (§. 306.) Hoc poſito aufertur poteſtas, illud, quod finem civitatis impedit, removendi, quod ad eſſentiam imperii civilis pertinet. (§. 281.) Ablata parte eſſentiali res ipſa aufertur, (per ontolog.) ablato itaque placito regio ipſum aufertur imperium civile, id quod erat primum.

Ablato Placito regio Imperantes recipere tenentur leges eccleſiaſticas civitati noxias, quo poſito imperium civile a ſacro dependeret; at imperium eccleſiaſticum ex Chriſti inſtitutione eſt ejusmodi, ut imperium civile ab eo non dependeat, (§. 41. & 42.) proin ablato placito regio eccleſia eadem, quam Chriſtus inſtituit, aufertur, id, quod erat alterum.

§. 309. *Qui placitum regium negant, & in imperium, & in eccleſiam ſunt injurioſi.* In ſtatu naturæ lapſæ eſſentia imperii civilis auferri nequit. (§. 277. ſchol.) Qui placitum regium negant, partem eſſentialem imperii civilis tollere coguntur, (§. 308.) qui vero id facit, per quod imperium evertitur, in illud eſt injurioſus, id quod erat primum.

Qui placitum regium negant, adſerere coguntur eccleſiæ jus eſſe edendi leges diſciplinares civitati noxias, atque adeo huic præcepto legis naturalis repugnantes: *Quidquid fini civitatis adverſatur, eſt omittendum.* (§. 277. corol.) Rurſus admittere coguntur, eccleſiæ jus eſſe poteſtate ſua abutendi (§. 280. corol.) nec non efficiendi, ut alia exiſtat ab illa, quam Chriſtus inſtituit, (§. 308.) contra ac ipſe voluit. (§. 11.) Atqui dicere, eccleſiæ jus eſſe violandi præceptum legis naturalis, abutendi ſua poteſtate, & contra voluntatem Chriſti efficiendi, ut ſit alia, quam ab ipſo eſt inſtituta, illi eſt injurioſum, ſequitur itaque id, quod erat alterum.

Schol. Placito regio adverſantes in eo potiſſimum hæſitant: *Cur viciſſim ad leges Principum, quæ nocivæ eſſe poſſunt religioni, placitum Pontificis, tanquam eccleſiæ defenſoris, non eadem ratione requiratur?* Videamus, quæ diſpar ſit ratio. Lex eccleſiaſtica univerſalis pluribus nationibus climate, moribus, & conſuetudinibus inter ſe diverſis datur. Tanta diverſitas efficit, ut lex, quæ genti A. eſt utilis & conveniens, genti B. aut C. non expediat. Non Pontificis, aut eccleſiæ, ſed Imperantis eſt inquirere, & determinare, quid genti ſuæ expediat, aut noceat. Econtra pro Imperante ſtat præſumptio, quod in fide tam bene ſit inſtructus, ut *ſciat*, quid religioni repugnet, & ut qua ſupremus eccleſiæ advocatus (§. 288.) nil religioni nocivum conſtituere *velit*. Dein demus etiam illum non adeo in fide in-

inſtructum eſſe, poterit tamen conſilia ſuorum exquirere epiſcoporum, num hæc aut illa lex civilis religioni ſit contraria, quo poſito omnis metus diſparet, per leges civiles religionem everti poſſe. Tandem ſcimus, neque Chriſtum, neque apoſtolos in danda doctrinæ ſuæ ratione, ſi quæ ab ipſis per Reges, aut præſides eſt exacta, fuiſſe refractarios, quamquam non legamus, eos unquam a Regibus, aut præſidibus viciſſim legum civilium rationem poſtulaſſe, quod ſine dubio feciſſent, ſi exiſtimaſſent, illis jus eſſe inquirendi, num leges politicæ religioni noceant.

§. 310. Dogmata, & eſſentialia religionis fini civitatis quidem contradicere non poſſunt, (§. 278. & 279. corol. 1.) atque ex hoc capite, placitum regium ad determinationes eccleſiæ immutabiles, ſeu bullas dogmaticas (§. 17 corol.) haud videtur neceſſarium. At quoniam tamen fieri poteſt, ut legislator eccleſiaſticus bullæ dogmaticæ quid reipublicæ nocivum, aut juribus majeſtaticis contrarium adnecteret, (uti exempli gratia, ſi transgreſſores bullæ dogmaticæ ad judicium extra territorium ſitum, vel in territorio non receptum, quale eſt inquiſitio hæreticæ pravitatis, evocarentur, aut ſi pœna temporalis, & pecuniaria contra illos decerneretur) liquet, etiam bullas dogmaticas Principum examini ſubjacere. Quamvis itaque dogma ipſum recipi ſemper debeat, dogmati tamen adnexa æque placito regio, ſicut bullæ diſciplinares, (§. 306. ſunt, obnoxia.

§. 311. Quod ſi vero Imperans bulla eccleſiaſtica (ſive ea dein dogmatica ſit, ſive diſciplinaris) examinata, nihil civitati aut juribus majeſtaticis contrarium in ea deprehenderit, tum non tantum nullam habere poteſt rationem ſufficientem, promulgationem & executionem ejus prohibendi, ſed inſuper qua ſupremus eccleſiæ advocatus, fideique defenſor (§. 288.) obligationem habet, ejus promulgationem & executionem promovendi, & autoritate ſua confirmandi. Secus enim eccleſia a civitate dependeret, contra ac voluit Chriſtus, (§. 41.) ſi jus non haberet ordinandi, & conſtituendi, quæ reſpectu ad finem civitatis ſunt adiaphora, ad ſalutem vero utilia.

Corol. Intelligis jam promulgationem legis eccleſiaſticæ a Principis arbitrio & conſenſu haudquaquam dependere. Si enim relate ad finem civitatis lex eccleſiaſtica eſt adiaphora, in promulgationem conſentire tenetur, ut in commate eſt dictum; ſi vero civitati eſt noxia tunc hoc ipſo jam non eſt lex eccleſiaſtica, (§. 280.) ac proin Princeps non impedit promulgationem legis eccleſiaſticæ, ſed *declarat*, legem illam civitati contrariam, atque adeo nullam eſſe, quoniam voluntati Chriſti repugnat (§. 277. corol. §. 278. & 279. cum corol. 1.)

§. 312. Peregrinationes ſacræ, confraternitates, dies feſti, aliaque hujusmodi pia exercitia de ſe ſpectata ſunt actiones ad ſalutem quidem non neceſſariæ, attamen utiles. Quia vero aut numerus eorum, aut modus ea peragendi civitati noxius evadere poteſt, ab eccleſia ſine Principis conſenſu inſtitui nequeunt, (§. 306.) & ſi jam cum placito regio eſſent inſtituta, mutatis autem circumſtantiis inciperent civitati nocere, jus modum iis ponendi Imperanti competit. (§. 286.) Quamprimum enim finem civitatis impediunt, deſinunt eſſe actiones religioſæ, & ad ſalutem utiles, ſed potius huic legi naturali: *Quidquid fini civitatis eſt contrarium, eſt omittendum*, (§. 277. corol.) adverſantur.

Schol. Numerus feſtorum plus juſto major, & peregrinationes frequentiores præſertim in loca longe diſſita ſubditos in labore, quo ſe, ſuamque familiam nutrire debent, impediunt, iisque occaſionem evagandi præbent. *Quia certum eſt* (ait de Sonnenfels poſit. polit. §. 143.) *vitio, & evagationi illud tempus auferri quod labori datur*. Ex conſtitutione Imperatricis Mariæ Thereſiæ de anno 1771. 17. Auguſti in omnibus ditionibus auſtriacis prohibitum eſt novas erigere confraternitates ſine placito regio, ſimulque jam erectas examinandi eſt injunctum, ut abuſus, qui irrepſere, & latens lucri cupiditas detegi & abrogari poſſint.

ſint. In alia conſtitutione de anno 1772. die 11. Aprilis omnes proceſſiones extra terras hæreditarias, nec non & illæ, ubi extra locum domicilii eſt pernoctandum (excepta unica ad Cellas marianas in Styria) prohibentur.

§. 313. Cuilibet in ſtatu naturali defenſio ſui competit, & jure belli omnem læſionem a ſe avertere poteſt. Poſtquam autem homines ex ſtatu naturali in civitatem tranſierant, (§. 276.) jus belli ob læſionem illatam in Imperantem tranſtulerunt. Ad illius itaque jura & obligationes pertinet, cives contra omnes injurias, & læſiones defendendi.

Corol. Cum clerici per ſuſceptionem ordinum cives eſſe haud deſinant, (§. 241.) etiam illos Princeps protegere tenetur.

Schol. Hanc Principum obligationem etiam inculcant ſcripturæ, quæ illos præcipue ideo a Deo ſuper populos conſtitutos eſſe dicunt, ut protectionem ſubditis impendant. *Si videris* (inquit Rex Salomon) *calumnias egenorum, & violenta judicia, & ſubverti juſtitiam in provincia, non mireris ſuper hoc negotio, quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hoc quoque eminentiores ſunt alii, ut hos protegant, ac in illos animadvertant. Et inſuper, ſi & hi defecerunt, univerſæ terræ Rex imperot ſervienti*. Ideo David felicitatem futuri imperii Salomonis prædicens, ait: *Humiliabit calumniatorem, liberabit pauperem a potente, & pauperem, cui non erat adjutor*. Hac de cauſa, ut monet Paulus, Deus Principibus gladium conceſſit, quem non ſine cauſa portant, ſed Dei miniſtri ſunt, ut, juxta Jeremiam, *faciant judicium & juſtitiam, & liberent vi oppreſſum de manu calumniatoris.*

§. 314. *Si judex eccleſiaſticus in quempiam ſine cauſa legitima pœna excommunicationis, aut alia pœna ſpirituali animadvertit, poteſtate ſua abutitur, & lædit civem.* Qui ſine cauſa legitima pœnam excommunicationis, aut cenſuram decernit, agit contra præſcriptum canonum, cauſas legitimas ad excommunicationem requirentium. Contra præſcriptum canonum agere, eſt abuti ſua poteſtate, atque habes id, quod erat primum.

Cum una eademque perſona ſimul ſit membrum eccleſiæ, & reipublicæ, (§. 271.) quamprimum qui excommunicationem incurrit, illis juribus civilibus privatur, quorum amiſſionem Imperans excommunicationi addidit. (§. 33.) Fac jam excommunicationem ſine cauſa legitima ferri, civi injuſte aliquid ex *τῷ ſuo* auferetur, id eſt: civis læditur, atque habes id, quod erat alterum.

Schol. Exemplum, quomodo judex eccleſiaſticus poteſtate ſua abuti, & cives lædere per cenſurarum inflictionem poſſet, hoc tibi ſume: ſi epiſcopus ſuæ diœceſeos perſonas pœna excommunicationis cogeret ejusmodi bullam pontificiam obſervare, & exequi, quæ placitum regium non obtinuit, (§. 306.) vel ſi quis excommunicaretur ob percuſſionem clerici, antequam cauſa percuſſionis etiam a commiſſariis ſecularibus fuiſſet cognita, (§. 239. corol.) & reipſa factum quandoque fuiſſe, ut judices eccleſiaſtici poteſtate ſua abuſi fuerint, ex Gratiani decreto liquet, in quo canon. 1. cauſ. 15. q. 7. ita legitur: *Multi ſunt, qui indiſcuſſos poteſtate tyrannica, non autoritate canonica damnant, & ſicut nonnullos gratiæ favore ſublimant, ita quosdam odio, invidiaque permoti humiliant.*

§. 315. *Imperans obligationem habet cives contra abuſum poteſtatis eccleſiaſticæ, per cenſuras injuſtas commiſſum defendendi.* Per cenſuras injuſtas cives læduntur, (§. 314.) læſiones civibus illatas Princeps avertere tenetur, (§. 313.) liquet itaque propoſitum.

Corol. Cum lædere ſit gravamen inferre, gravamen vero illatum jus adpellandi tribuat, (§. 86.) jam ſponte fluit, Imperantem jus habere adpellationem, & *recurſum ab abuſu poteſtatis eccleſiaſticæ* admittendi, & recipiendi.

Schol. Nihil contra recurſum ab abuſu poteſtatis eccleſiaſticæ evincitur; ſi dicatur: Sicut eccleſiam; ita & Imperantem nullam accepiſſe ad abuſum poteſtatem, & tamen ſi abuſum committit, ejus ſubditi ad alterum Imperantem, a quo non dependet, (§. 299.) re-

recurrere non poſſunt, neque etiam quod promovet paritas inde deducta, quod ſicut ſubditis a Principe læſis noo licet recurrere ad eccleſiam, ita vice verſa neque ad Principem recurrere licebit ad avertendam judicis eccleſiaſtici violentiam. Sunt enim diverſiſſimi caſus, ſi quædam reſpublica, quæ ab altera oullateuus depeodet, io territorio ſuo ſine alterius præjudicio poteſtate ſua abutatur, & ſi eccleſia, quæ a republica noo undequaque, ſed quoad ſolam eſſentialem poteſtatem ſpiritualem non dependet, in territorio reipublicæ cum præjudicio ejuſdem abuſus committat. Ad alteram paritatem ajo: Vel abuſus poteſtatis politicæ contingit io cauſis temporalibus, vel ipſam adtingit religionem. Si primum, recurſus ad eccleſiam fieri nequit, quia nihil illi cum temporalibus eſt negotii; ſi alterum, ſumat gravatus fidelis recurſum ſumma ad illum, qui Matth. 11. v. 28. ait: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onorati eſtis, & ego reficiam vos.* Immo dicat gravatus fidelis id eccleſiæ, & hæc iis, quæ ſibi competunt, utatur mediis ſpiritualibus.

§. 316. Clerici ſunt cives, (§. 241.) proin etiam hos Princeps contra omnes injurias, & læſiones defendere tenetur. (*§. 313.* corol.) Per cenſuras injuſtas læduntur cives in τῷ ſuo. (*§. 314.*) Itaque Princeps clericis æque, ac ceteris civibus recurſum, & adpellationem ab abuſu poteſtatis eccleſiaſticæ admittere, eamque recipere tenetur. (*§. 315.* corol.)

Schol. 1. Clericos, & perſonas eccleſiaſticas ſæpius contra judicum eccleſiaſticorum violenta judicia ad Priocipes adpellaſſe, hiſtoria eſt teſtis. Nam S. Athanaſius illegitime a ſynodo *Tyria* condemnatus, & epiſcopali dignitate exutus a Conſtantino Auguſto imperatoriæ tuitionis præſidium implorabat, de quo facto Petrus de Marca ita ſcribit: *Ex Athanaſii libellis, & reſcripto Conſtantini apertiſſime conſtat, Athanaſium exiſtimaſſe, in his anguſtiis liberum eſſe afflicto ſubſidium tuitionis imperatoriæ implorare, & Principis partes eſſe, ut perſpiciat, an vis ulla contra præſcriptum legum, aut canonum illata ſit.* Eodem modo Paſſianus Epheſiorum epiſcopus violenter a ſede metropolitana dejectus recurrebat ad Imperatorem Valentinianum, & Marcianum rogans, ut decernant, nulli licere vexationem aliquam illi inſerre, donec ad finem perveniant ea, quæ inter illum, & ejus adverſarios aguotur; & cum Neſtorius quoſdam, qui ſe hæreſi ejus oppoſuere, facultate concionandi privaſſet, recurrebant ii ad Imp. Theodoſium & Valentinianum, illud enixe rogantes, ut nihil deinceps in quemquam Neſtorio liceat, niſi primum orthodoxæ fidei veritas enucleetur.

Schol. 2. Clericos a juriſdictione ſeculari per privilegium fori exemptos eſſe, quidem oſtendimus, (§. 244.) at iſtud nihil obeſt, quo minos illis liceat ad Imperantem contra abuſum poteſtatis eccleſiaſticæ recurrere; nam privilegium fori eis in favorem a Priocipibus eſt conceſſum, ut a forenſi ſtrepitu exempti eo liberius Deo vacare poſſiot, (§. 244. ſchol.) quæ vero io favorem data ſunt, non debent vergere in præjudicium: vergeret autem certe io præjudicium, ſi illis per id adempta fuiſſet licentia ad Principem recurrendi, quod vel minimo ex ſubditis licet. His accedit, Principes dando privilegium fori excludere non potuiſſe clericos a protectione, quam illis debent, (§. 313. corol.)

§. 317. Facta ad Principem ab abuſu poteſtatis eccleſiaſticæ adpellatione, is & qua defenſor eccleſiæ, & qua defenſor civium jus habet cenſuras injuſtas caſſandi, & judices eccleſiaſticos, ut eas revocent, adigendi. Per cenſuras injuſtas læduntur canones, (*§. 314.*) at Princeps qua eccleſiæ advocatus & defenſor (§. 288.) obſervantiam canonum promovendi, eorumque transgreſſionem impediendi jus habet, ac proin ei, qua *eccleſiæ defenſori* cenſuras injuſtas caſſare competit, id quod erat primum.

Per cenſuras injuſtas cives in τῷ ſuo læduntur, (*§. 314.*) at Imperans cives ex pacto, quo jus belli illis in ſtatu naturali competens, in illum transtulere, defendere tenetur, (*§. 313.*) ergo etiam qua *defenſor civium* cenſuras injuſtas contra illos latas facta adpellatione caſſare poteſt, id quod erat alterum.

Corol. Poteſtas Principis contra cenſuras injuſtas efficax eſſe debet. Si proin judices eccleſiaſtici contra Principis prohibitiooem nihilominus pergant cives iojuſtis cenſuris vexare,

faci-

facile intelliges, illum immiſſione in temporalia, aliiſque pœnis civilibus violentiam reprimere poſſe.

Schol. 1. Si hiſtoriam, & praxim conſulimus, videmus jam Juſtinianum Imp. poteſtatem ſuam in cenſuras injuſtas exercuiſſe, ſiquidem in Nov. 123. cap. 11. lege publica edixit: *Omnibus autem epiſcopis, & presbyteris interdicimus ſegregare aliquem a ſacra communione, anſequam cauſa monſtretur, propter quam S. regulæ hoc fieri jubent. Si quis autem præter hoc a S. communione quempiam ſegregaverit, ille quidem, qui injuſte a communione ſegregatus eſt, ſolutus excommunicatione a majori ſacerdote ſanctam mereatur communionem. Qui vero aliquem a S. communione ſegregare præſumpſerit, modis omnibus a ſacerdote, ſub quo conſtitutus eſt, ſeparabitur a communione, quanto tempore ille perſpexerit, ut quod injuſte, fecerit, ipſe ſuſtineat*, quam Imperatoris conſtitutionem probat & laudat eccleſia can. 6. cauſ. 24. q. 3. Eodem modo Joſephus I. Imp. anno 1706. archiepiſcopum Pragenſem a cenſurarum via facti infligendarum comminationibus abſtinere juſſit, ut videre eſt in corp. jur. eccleſiaſt. Boeh. pag. 172. Huc etiam pertinet conſtit. Imperatricis Mariæ Thereſiæ ſuperius §. 293. corol. adducta,, vi cujus cauſæ excommunicationis ob percuſſionem clerici a commiſſariis eccleſiaſticis, & ſecularibus pari numero cognoſci, & Majeſtati ad adprobationem offerri debent, nec non alia de anno 1768. qua decernitur, ut nullus ſubditorum, ne quidem in crimine hæreſeos abſque placito regio, & conſenſu judicis ſecularis excommunicari poſſit.

Schol. 2. Hactenus dictis *de recurſu ab abuſu* adverſari quidem videtur ſynodus Tridentina, quæ Seſſ. 25. cap. 3. de reform. edixit: *Nefas ſit ſeculari cuilibet magiſtratui prohibere eccleſiaſtico judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet ſub prætextu, quod contenta in præſente decreto non ſint obſervata, cum non ad ſeculares, ſed ad eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat.* Verum reſpondet Franciſcus Salgado, ſub tanta verborum generalitate non eſt comprehendendum tam ſalubre remedium, & charitativum ſubſidium miſeris, & oppreſſis ſpecialiter a jure canonico, ex ratione, & principiis juris naturalis & divini permiſſum, longo uſu immemoriali conſervatum, ſuper quo cum Tridentinum nihil ſpecialiter inducat, ſed generaliter potius diſponat, hanc limitationem a jure probatam debet accipere. Numquam igitur concilium cogitavit Principibus interdicere, quo minus violentas judicum eccleſiaſticorum cenſuras prohibeant, aut ad revocandum cogant, quod ſatis adparet ex teſtimonio Covarruvim epiſcopi Segovienſis, qui concilio Tridentino non tantum interfuit, ſed ipſa hæc reformationis decreta confecit, atque adeo de mente concilii optime inſtructus eſſe debuit. Hic autem conſtanter aſſeruit: Poſſe ab his, qui in judicibus eccleſiaſticis vi, & cenſuris opprimuntur, regios auditores, & conſiliarios, qui apud regia ſuprema prætoria litigantibus jura reddunt, omnino adiri, ut vim auferant, & compellant judices eccleſiaſticos ab ea inferenda ceſſare. Adde, decretum citatum ſynodi Trid. ad decreta reformationis pertinere, quæ ſine placito regio vim obligandi habere nequeunt. (§. 306.)

§. 318. ***Principium cognoſcendi**, quibus ſub determinationibus adpellationi tanquam ab abuſu poteſtatis eccleſiaſticæ ſit locus, hæc eſt propoſitio: — Quidquid contra præſcriptum canonum, & legum eccleſiaſticarum, quidquid contra publicam utilitatem, ſtatum aut tranquillitatem reipublicæ, aut contra jura ſingulorum eſt actum, dat jus adpellandi ad Principem.* Recurſus toties datur, quoties adeſt abuſus poteſtatis eccleſiaſticæ, (§. 315. corol.) atqui abuſus poteſtatis eccleſiaſticæ eſt omne id, quod agitur contra præſcriptum canonum, (§. 314.) & contra utilitatem, aut tranquillitatem reipublicæ, (§. 280. corol.) ſingulorumque jura, (§. 314.) dicta itaque propoſitio adæquatum eſt cognoſcendi principium, quando recurſui ab abuſu ſit locus.

Corol. Quoniam cenſura inflicta alicui ob recurſum ab abuſu poteſtatis eccleſiaſticæ ad Imperantem factum, ſit contra jura ſingulorum, liquet hunc modum procedendi eidem rurſus de novo jus adpellandi dare, & ita porro.

§. 319. Societates illæ, e quarum manibus bona ſemel adquiſita ad rempublicam, & commercium non iterum redeunt, *manus mortuæ* adpellantur.

§. 320. Ordines religioſi ſunt ſocietates (§. 253.) & quidem perpetuæ quoniam membrum, quod extinguitur, alio rurſus compenſatur. Ex harum ſocietatum manibus bona ab iis adquiſita non iterum ad rempublicam, & commercium redeunt, ſunt itaque ordines religioſi manus mortuæ. (§. 319.)

§. 321. *Civitati eſt noxium, ſi bona mobilia in majori copia in manibus mortuis exiſtunt.* Quidquid bonorum *mobilium* manus mortuæ habent, illud circulationi eripitur, quoniam ex manibus mortuis ad rempublicam & commercium nihil redit. (§. 319.) Jam vero civitati eſt noxium omne id, per quod circulatio pecuniæ impeditur, quoniam hac impedita proportio inter pecuniam & producta commercii tollitur, id eſt, aliqua pars mercium caret pecunia illam repræſentante. Dein civitas tanquam corpus politicum, & morale ſpectari poteſt, *in quo* (ut habet de Sonnenfels in motto ad poſit. polit.) *a ſuprema poteſtate caput repræſentatur; a legibus & conſuetudinibus cerebrum, ubi nervi ortum, ſedemque intellectus, voluntas ac ſenſus habent, quorum inſtrumenta ſunt judices & magiſtratus. In ore & ſtomacho, ubi communis nutritio præparatur, eſt mercatura, ſedulitas, & agricultura. Publici reditus ſunt ſanguis. Prudens œconomia ſedet in corde, refert ſanguinem, & ſic toti corpori victum, vitamque impertitur.* Sane nonne abſurdum foret, ſi quis in unam corporis venam ſanguinem contrudere, & reliquas evacuare, atque indigentes facere vellet, ut una plena dein adſit pro evacuatis? aut quomodo tale corpus ſanum eſſe poſſet?

Schol. 1. Detrimenta, quæ ex impedita pecuniarum circulatione in rempublicam reduodant, ita determinat de Sonnenfels §. 284. in poſit. ſcient. negot. *En damna, quæ ex impedita circulatione oriuntur. — — Quando pecuniæ pars circulationi aufertur, res inter pecuniam & merces turbatur; nimirum, cuidam mercium parti oblata pecunia non ſufficit. Si pecuniæ maſſa illico diſtribui poſſet, ex illa turbatione vilitas mercium ſequeretur. — — Quum autem hæc ſubita æqualitas inter pecuniam & merces fieri nequeat, ac tota pecuniæ ſumma inæqualiter ſit diſtributa, illis plus quam neceſſe eſt, his minus, habentibus, pecuniæ ſummam eſſe minorem ſentimus. Qui niſi quod opus eſt, habent, minus quam ſolebant, accipiunt; hinc, diminutis operibus ſuis, ægrius vivere, vel ad illos qui pecuniam ſervant, confugere debent: iſti autem non niſi pacto fœnore eam præbent. Sic fœnora pretium mercis augent, ſedulitatis lucrum minuunt, lucrique partem pecunioſo tradunt.* Idem doctiſſimus autor nimias privatorum divitias etiam ſecuritati obeſſe poſſe in poſit. polit. §. 42. & duobus ſeq. oſtendit, ſiquidem vires ſingulorum civium cum viribus civitatis, & Imperantis hanc habere debent proportionem, ut maſſa virium reſiſtentiæ ex parte civium ſemper ſit minor maſſa virium ex parte civitatis ad reprimendos rebelles. Cum vero cives vires ad reſiſtendum Imperanti etiam ope divitiarum adquirere poſſint, in civitate bene ordinata familiæ, ſtatui, aut civi nulli media exceſſivas ſibi comparandi divitias permitti debent. *Pecunia* (ait rurſus quidam Germ. anonymus) *in divitum ſcriniis ſepulta, furtum eſt rei publicæ factum. Qui aurum auro cumulat, non eſt felix. Medio in auro nudi Americani languent.*

Schol. 2. Objici poſſet, magis proficuum eſſe reipublicæ, ſi bona mobilia, & pecuniæ in unum locum congregeotur, quam ſi per cives proportionaliter diſtribuaotur, quia tum Imperaos exigente utilitate, aut neceſſitate, ea jam collecta habere poteſt; verum animadvertendum eſt Imperantem emolumento civitatis æque conſulere poſſe, ſive bona ſiot diſperſa, ſive in uno loco cumulata, dummodo non diſpergaotur extra civitatem. Pone enim Imperantem mille indigere florenis, ſive totam ſummam accipiat ab uno ſubito, ſive plures ſimul conferant par erit ratio; at relate ad commercium non eſt par ratio, ſive bona ſint æquabiliter diſperſa, ſive non, quoniam commercia ſemper impediuntur, dum in manibus mortuis pecunia exiſtit, proin falſum eſt, magis proficuum eſſe reipublicæ, ſi bona cumulentur. Quid, quod ingentes theſauros in unum locum congregatos hoſtis irruens facile ſimul aſporrare poſſet, quos, ſi diſperſi per civitatem fuiſſent, haud adquiſiviſſet. Deio caſus neceſſitatis, in quo proficuæ eſſe reipublicæ dicuntur pecuoiæ, & theſauri io unum locum congregati, tunc adeſt, quando cives ita ſunt exhauſti, ut contribuere amplius nihil queant, at cives ita exhauſti non ſuiſſent, ſi pecuniæ in unum locum congregatæ inter illos diſperſæ

ſæ fuiſſent, ipſæ itaque theſaurorum arculæ, quas aliqui pro extremo reipublicæ refugio implendas, conſervandaſque amant, in cauſa ſunt, quod emergant caſus neceſſitatis.

§. 322. Imperanti jus competit invigilandi, ne ſocietates particulares in civitate exiſtentes eidem evadant noxiæ. (§. 284.) Ordines religioſi ſunt ſocietates (§. 253.) in civitate exiſtentes, ac proin jus eſt majeſtaticum introſpiciendi, ne ponant actiones civitati noxias. Civitati eſt noxium, ſi bona mobilia in majori copia in manibus mortuis exiſtunt, (§. 321.) cum itaque ſocietates ordinum religioſorum ſint manus mortuæ, (§. 320.) liquet, Imperantem jus habere determinandi, quantum ex bonis mobilibus ordinibus religioſis adqnirere liceat.

Schol. His dictis conformiter Aug. Imperatrix Maria Thereſia 20. Aug. anno 1771. in vim pragmaticæ perpetuæ edixit: Ordinum religioſorum candidatis utriuſque ſexus ultra mille imperiales monaſterio dare non licere. De Sonnenfels in poſit. polit. §. 46. & hos mille imperiales ſuperfluos eſſe, ſequenti ex fundamento aſſerit: *Immortales ſocietates, illæque potiſſimum quarum augmentum* rei publicæ minus *prodeſt, permittunt, ut eis Imperans limites poſſeſſionis definiat. Sic etiam numerus in ipſis ſtatuitur. Statutus numerus rationem alimenti decernit.* Quod ſupereſt, *ſocietatis membris* inutile, immo & noxium eſſe poteſt. *Supputata, ſtatutaque neceſſarii alimenti ratione, præcavendum ne opes teſtamentis, donis, emptionibus, aliiſque conventionibus, augeantur. Maximam animadverſionem requirit hæc legislationis pars.* Dein in adnotatione ad §. citat. ita ſcribit: *Statuta eſt ſumma, cum qua cœnobium quiſque ingreditur. Juxta præſens propoſitum, ſuperfluum eſt id quod introducitur. Definitus eſt ſociorum numerus, æque ac dos cœnobii; & quum ille numerus non ſit augendus, neſcio cur ſocius intrans bona ſecum portare debeat.* Porro ultra numerum fundationis in monaſteria non ſuſcipiendos eſſe, ex Trid oſtenditur, quod ſeſſ. 25. cap. 3. de regul. & monial jubet: *Ut in omnibus monaſteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia poſſidentibus, vel non poſſidentibus is tantum numerus conſtituatur, ac in poſterum conſervetur, qui vel ex reditibus propriis monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.*

§. 323. *Civitati eſt noxium, ſi manibus mortuis bona immobilia illimitate adquirere eſt licitum.* Fac hoc licitum eſſe, tum fieri poſſet, ut pleraque bona immobilia ad manus mortuas deveniant, quo poſito nobiles, ceterique vaſalli viribus deſtituerentur onera Principi debita præſtandi, neque etiam ejusmodi bona in manibus mortuis poſita ulla deinceps producunt adventitia feudi commoda Regi, omnium domino ſuperiori.

§. 324. Imperans jus habet invigilandi ne reſpublica detrimenti quid capiat. (§. 284.) Eſt reipublicæ perniocioſum, ſi manibus mortuis illimitate eſt licitum bona immobilia adquirere. (§. 323.) ergo Imperans jus habet prohibendi, ne ſine illius conſenſu bona immobilia ad manus mortuas tranſeant, Ea ipſa autem quam de hac re promulgat, conſtitutio *lex amortizationis* audit, proin Principibus legem amortizationis condendi poteſtas denegari nequit.

Corol. 1. Poſita lege amortizationis omnis alienatio boni immobilis ad manus mortuas ſive per *ultimam voluntatem*, ſive per *actus inter vivos* ſine conſenſu Principis facta, nulla eſt, & irrita. Idem enim in rempublicam redundat damnum, ſive adquirantur immobilia a manibus mortuis per voluntatem ultimam, ſive per actus inter vivos.

Corol. 2. Conficitur rurſus, hæredem *ad æſtimationem rei legatæ immobilis*, ſi amortizatio impetrari nequit, non obligari. Nam legatio rei immobilis amortizatione non impetrata nulla eſt, & irrita, (corol. præc.) ac proin invalide eſt promiſſa, quidquid autem invalide promittitur, tantundem eſt, ac ſi promiſſum fuiſſet nihil. Porro ubi nihil eſt promiſſum, etiam nihil eſt præſtandum.

Corol. 3. Cum ſemper aliquid damni redundet in rempublicam, quando manus mortuæ bonum immobile adquirunt, liquet, pro

con-

Digitized by Google

conceſſa amortizatione Principem jus habere certam pecuniam exigendi, quaſi in compenſationem utilitatum, & redituum publico ſubtractorum, ut, exempli cauſa, propter ſubtracta laudemia in emphytheuſi, quæ acciperet dominus directus remanente ea in manibus privatorum. Conformiter ad hoc recte Choppinus de domaniis regni Franc. l. 1. cap. 13. n. 5. ſcribit: *Cum ſemel divino uſui dicatus fuerit ager, jam tum liberatur privato mortalium dominatu, ſaltem inalienabilis, ſacerque factus, nulla deinceps producit adventitia feudi commoda Regi omnium domino ſuperiori. Ideoque alterutrum eccleſiis onus incumbit. vel adquiſita in privatorum manus deferendi, vel, ſi maluerit Princeps, indemnem ſervandi eum ipſum numaria aliqua mortuæ manus penſatione.*

Scbol. 1. Leges amortizationis originem traxiſſe videntur ex nimia propenſione fidelium dotandi, fundandique monaſteria. Conſtat monachos olim in *Ægypto* ex quotidiano manuum opere vixiſſe, id quod & ſanctus Benedictus in ſua regula cap. 48: ſtatuit: *Otioſitas inimica eſt animæ. Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum.* Non obſtante autem hoc, jam antiquitus erant monaſteria, quæ non ex ſolo manuali opere, ſed etiam ex oblationibus fidelium, & monaſteria ingredientium vivebant, quod ipſe S. Benedictus ſupponit in eodem cap. 48. ſuæ regulæ dicens: Non debere contriſtari monachos, ſi neceſſitas loci, aut paupertas exegerit, ut per ſe fruges colligere debeant, itaque non omnibus monaſteriis neceſſitas, aut paupertas opus manuale impoſuit; non autem adparet, unde vivere potuiſſent ſine labore manuali niſi ex oblatione fidelium, & monaſteria ingredientium. Ex hac autem liberalitate offerentium tantæ ſucceſſive ad monaſteria devenere divitiæ, ut legamus ſeculo nono abbatias plures ob cumulatas divitias dona annua, & militiam ſuppeditare debuiſſe Regibus. Probat id conſtitutio Ludovici Pii lata anno 817. in qua petens notitiam de monaſteriis vult ſcire, quæ in regno ſuo *dona, & militiam* facere poſſint, quæ ſola *dona* ſine militia, quæ vero nec dona, nec militiam, ſed *ſolas orationes* pro ſalute Imperatoris. Quæ vero ſeculo undecimo laicorum fuerat liberalitas ad fundationes faciendas, plus quam notum eſt. Cum vero continuo magis bona ad monaſteria devolverentur non ſine gravamine Principum, & laicorum eo, quod bona ſic ad manus mortuas devoluta eximerentur a variis oneribus, quibus reſpublica ſublevari, & Principis ærarium conflari deberet, tandem incepere Principes huic rei medelam adhibere. Huc pertinet famoſa illa conſtitutio Caroli V. de anno 1520. ubi eccleſiis, aliiſque collegiis, quæ *manus mortuæ* dicuntur, adquiſitio bonorum ſeu feudalium, ſeu allodialium, ſeu emphytheuticariorum abſque amortizatione eſt interdicta, inſimul omnibus actibus, contractibus, & teſtamentis, quibus ad manus mortuas bona tranſcribuntur, irritis declaratis. Extat etiam in corp. jur. eccleſ. Auſt. conſtitutio Leopoldi Imp. de anno 1669. hujus tenoris: Fideles Status noſtri apud nos queſti ſunt, plura bona immobilia a laicis ad clericos transferri, adeo ut ſenſim nobilibus hæredibus fere nihil remaneat, quo nobis debitum ſervitium præſtare poſſint. — — *Præmiſſa* hac legis ſuæ ratione ſtatuit: Nulla bona immobilia, ſine prævio noſtro conſenſu, nullo pacto, interim, ad clericos alienari poſſe; quod confirmavit Carolus VI. & latius extendit. Conſtitutio Aug. Imperatricis Mariæ Thereſiæ de anno 1771. die 20. Auguſti ſequentis eſt tenoris: *Amortizationis legi, a noſtris Prædeceſſoribus, præſertim Ferdinando & Carolo VI. introductæ, circa bonorum immobilium alienationem ad clericos, confeſtim accedimus*; &c.

Scbol. 2. Argumenta, quæ contra æquitatem legis amortizationis pugnare videntur, huc fere redeunt. *Primo* bona & reditus monaſteriorum reipublicæ non nocent, quia illa idem habet commodum ex bonis, ſive ea poſſideantur a monaſterio, ſive ab alio, ſiquidem monaſteria æque ac laici de ſuis bonis tributa tam ordinaria, quam extraordinaria ſolvunt. Jam vero reſpectu ad civitatem eſt adiaphorum, ſive A, ſive B ſolvat tributum, quia ſemper ſolvitur. *Secundo* per legem amortizationis monachis jus adquirendi per donationes, teſtamenta & legata, nec non per emptionem adimitur; atqui jus adquirendi illis adimi nequit, cum cuilibet jure naturali competat. *Tertio* pretia rerum ſunt aucta, ergo reditus fundationis jam non ſufficiunt. *Quarto* præſtat monaſteria eſſe opulenta, quam indigentia; nam ubi communitas monaſtica eſt egens, fratres curis, & negotiis ſecularibus nimis occupantur, ut ſibi de ſuſtentatione proſpiciant, quod repugnat doctrinæ Pauli docentis: *Nemo Deo militans ſe negotiis implicat ſecularibus.* Quid, quod teſte Bonaventura ſimonia plerumque ſit comes paupertatis? *Quinto* monaſteria non ſunt manus mortuæ, neque circulationem pecuniæ impediunt. Nam pecuniæ vel revolvuntur *intra ſtatum*, ſeu familiam ita, ut tranſeant de uno conſanguineo in alium, vel revolvuntur *extra ſtatum* ita, ut tranſeant de una familia in aliam. Secunda pecuniæ circulatio ad reipublicæ utilitatem promovendam

in

in ſingulis membris non eſt neceſſaria, ſecus enim bona cameræ & coronæ, bona fiſci, feuda & fidei commiſſa reipublicæ nociva eſſent, cum non tranſeant de familia una in aliam, proin ad conſervandum bonum commune civitatis circulatio *intra ſtatum* ſufficit. Hæc vero etiam in monaſteriis datur, quia bona monaſterii ab uno Abbate in alium transferuntur. Reſpondeo ad primum negando idem eſſe ſive laici ſive monaſteria tributa & ſteuras ex immobilibus ſolvant. Admitto equidem poſita in determinatione rempublicam nullum detrimentum in tributorum reditibus perſentiſcere; at inde nondum conſequitur, nullum detrimentum rempublicam capere, ſi immobilia a monaſteriis poſſideantur. Nam laicus poſſidens immobile ex ejus reditibus ſe, ſuamque ſuſtentat familiam. Econtra monachi ſe ſuſtentant ex fundatione, proin reditus boni immobilis deductis ſteuris remanentes ſubtrahuntur commercio, id eſt: ſunt mortui. Ad ſecundum aio: Lex prohibens, aut adimens laicis jus adquirendi per hæreditates bona monaſterii, non eſt injuſta, ergo vice verſa neque lex amortiſationis jus adquirendi monachis adimens juri naturali repugnat. Dein etſi detur jus adquirendi jure naturali monachis competere, tamen fideicommiſſum monachos excludens eſt juſtum. Si itaque privatus fideicommiſſo, cur Imperans lege amortiſationis ob bonum publicum lata, eos a jure adquirendi immobilia excludere non poſſet? Ad tertium dicendum eſt, ea ratione, qua rerum pretia, etiam monachorum reditus eſſe auctos, nam præter bona fundationis per ſecula elapſa multa adquiſiverunt donationibus, legatis, hæreditatibus, miſſarum ſtipendiis, & ingentes quandoque ſummas a candidatis. Adde dona fundationis plerumque conſiſtere in decimis, dominiis, agris, vineis & ejusmodi, quorum pretium cum pretio eſculentorum ſemper creſcit. Quod ſi tamen in uno alterove monaſterio bona fundationis non ſufficerent, minuatur numerus religioſorum, & ad præſcriptum concilii Trid. (§. 322. ſchol.) is numerus conſtituatur, qui ex bonis fundationis commode ſuſtentari poteſt. Argumentatio dein quarta ab uno extremo ad aliud procedit. Neque indigentes, neque divites monachos volunt Imperantes legem amortiſationis ſtatuentes. Congrua ſuſtentatio illis ſalva maneat, & ita medio tutiſſimo itur. Non autem paupertas tantum, ſed & divitiæ ſimoniæ occaſionem præbent ex ſententia S. Antonini in ſumma L. 1. c. 5. n. 18. quo plus enim potantur, eo plus ſitiuntur aquæ. Ad quintum tandem reponendum paritatem adductam non valere, quoniam bona cameræ, coronæ & fiſci ad Imperantis ſuſtentationem & bonum publicum impenduntur. Quid, quod in Bavaria etiam quædam bona cameræ in feudum dentur, ex quibus familiæ nobiles ſuſtentantur? Reditus item feudorum & fideicommiſſorum non ſunt in manibus mortuis, ſed nobiles ſe ex iis ſuſtentant, proin ad rempublicam iterum redeunt. At monachi bono immobili, ſi quod adquirunt ad ſuſtentationem ſuam non indigent, ſed quilibet aut ex miſſarum ſtipendiis, aut ex fundatione vivit, atque ita reditus boni immobilis veniunt ad manus mortuas. Dein iſtud etiam eſt diſcriminis inter fideicommiſſum, feudumque & bona monaſteriorum, quod priora ſaltem quoad uſumfructum, & dominium utile alienari poſſint, poſteriora vero neque quoad dominium utile, neque quoad directum.

§. 325. Cetera, ſi quæ præter enumerata competunt Imperanti jura circa ſacra, quilibet facile ex principiis ea cognoſcendi ex ſuprema nempe inſpectione, & advocatia eccleſiæ (§. 289.) deducet. Neque ullum errandi periculum timendum habet, ſi eſſentialia religionis, quæ fini civitatis contradicere nunquam poſſunt, (§. 278.) ab ejusdem accidentalibus rite diſtinguere norit, atque ſimul mutuam utriusque poteſtatis independentiam (§. 41.) fundamenti loco præ oculis ſemper habuerit. Nimirum quotiescunque quæſtio eſt de tali re, ſeu actione, ſine qua eſſentia religionis ſtare nequit, toties Principis autoritatem intervenire neceſſe haud eſt. Quod ſi vero quæſtio ſit de rebus iis, quæ quidem ad pietatem conducunt, nulla vero ratione ad eſſentiam religionis ſpectant, tum eccleſia nihil ſtatuere poteſt, donec Principis non acceſſit placitum. Tandem ſi vel perſonæ, vel res eccleſiaſticæ ſpectentur præciſe, ut ſunt civiles, tum ſola poteſtas Principum eas determinare poteſt.

Schol. Eſt doctrina de juribus Principum circa ſacra in toto jure eccleſiaſtico publico utiliſſima, & nobiliſſima, quæ cum ab iis, qui in jure naturali & civitatis ſunt hoſpites, intelligi, prout deberet, nequeat, plene jam perſpicitur, cur jus naturæ principiis demonſtrandi in jure

ec-

eccleſiaſtico adnumeretur, & quantus hujus propoſitionis ſit uſus: *Quidquid juri naturali repugnat, ſimul voluntati Chriſti eccleſiam inſtituentis*. Vide proleg. §. 19. cum Schol.

ADPLICATIO CAPITIS SECUNDI
AD GERMANIAM.

§. 326. Jura Imperantium circa ſacra hucusque expoſita, cum ex jure ſupremæ inſpectionis, & eccleſiæ advocatiæ deſcendant, (§. 289.) jura ſunt majeſtatica, (§. 286. & 288.) ac proin rationem ſui ſufficientem in eſſentia imperii civilis habent. (§. 282.) Quod rationem ſui ſufficientem in eſſentia imperii civilis habet, ex jure publico univerſali omnibus competit Imperantibus. Si vero una alterave civitas contra jus publicum univerſale exceptiones faciat, neque id undequaque ſervare velit, oriuntur Imperanti per pacta, & exceptiones jura particularia, aliis regnis haud competentia. Complexus harum exceptionum ad jus publicum particulare hujus, illiusve regni pertinet. Exortis in Germania ſeculo decimoſexto religionis diſſidiis Principes proteſtantici paulo majora jura circa ſacra ſibi ſumpſere, id eſt: fecere contra jus publicum univerſale in materia jurium circa ſacra exceptiones, quæ in pace VVeſtphalica ſunt firmatæ, atque adeo in Germania jura circa ſacra ſpecialem accepere determinationem, & partem juris eccleſiaſtici particularis Germaniæ conſtituunt.

§. 327. Ampliora jura circa ſacra, quæ Proteſtantes ſibi ſumpſere, (§. 326.) in eo conſiſtunt, quod ſibi ſumpſerint jus veterem religionem poſſeſſione dejiciendi, ſubſtituendique novam, ac determinandi adnexa religionis, quorum jurium complexus *jus reformandi* vulgo audit. Quoniam vero jus reformandi aut ad perſonas, aut ad res, aut ad judicia relationem habere poteſt, de ſingulis in ſpecie erit dicendum.

§. 328. Perſonæ in imperio romano-germanico aut ſunt *Imperantes*, aut ii, qui parent. Imperium ſummum penes Imperatorem eſt, reliqui obediunt. Atque hi porro aut *ſtatus* ſunt, aut non, prout ad ſummi imperii exercitium concurrunt in comitiis, aut minus. Ex his dein Cæſari alii ſunt *immediate* ſubjecti, alii *mediate* duntaxat alterius Principis jurisdictionem agnoſcentes. Denique commune omnium diſcrimen in fidei formula eſt poſitum, quam quisque profitetur, qua ratione in *catholicos*, *proteſtantes*, & *reformatos* in ſpecie ita dictos dividuntur. *Status* itaque ſunt, qui jure ſeſſionis, & voti in comitiis gaudent. Membra ſimpliciter immediata, qui quidem nullo alio ſuperiore mediato Imperatori, & imperio ſubſunt, jure tamen ſuffragii in comitiis non gaudent. Subditos tandem eos adpello, qui immediate ſuo domino territoriali ſubjiciuntur.

§. 329. *Superioritas territorialis* eſt ſuprema in territorio poteſtas tum in eccleſiaſticis, tum in politicis ſtatibus imperii competens, niſi reſtrictio ex legibus imperii, vel ex pactis adpareat. Jo. Jac. Maſcov. princ. jur. publ. I. R. G. L. 6. C. 1. §. 2.

§. 330. *Reformare* ſecundum etymologiam eſt abuſus, & defectus, in melius mutare, inque ſtatum priſtinum reſtituere. Quare jus reformandi proprie notat jus tollendi abuſus, & emendandi defectus, eritque, uti aut circa eccleſiam, aut civitatem verſatur, mox *eccleſiaſticum*, mox *civile*.

§. 331. In ſenſu juris publici Germaniæ vero jus reformandi eſt jus definiendi religionis exercitium, adeoque vel receptam ſemel religionem conſervandi, tuendi, amplificandi, vel religionis exercitium concedendi, mutandi,

re-

reſtringendi, atque tollendi, quod jus a Principibus proteſtanticis jam occupatum, in pace VVeſtphalica Imperatori ſtatibusque imperii immediatis eccleſiaſticis non minus, quam ſecularibus, *cum jure territorii, & ſuperioritatis ex communi per imperium totum hactenus uſitata praxi* comprehenſa etiam nobilitate immediata, firmatum fuit. Inſt. pac. Oſnabr. Art. 5. §. 30.

Schol. Ex eo, quod in pace religioſa jurisdictio epiſcoporum in ſubditos proteſtanticos ſit ſuſpenſa, (§. 172.) Principes proteſtantici ſibi jus reformandi ſumebant occupando epiſcopatus, collegia, & monaſteria, eorum bona ſecularizando, nihil proficientibus catholicorum proteſtationibus. Cum vero perſpecta illis eſſet regula: *Quod quis juris ſtatuit in alterum, eodem & ipſe utatur;* non quidem audebant catholicis jus reformandi denegare, omnibus tamen viribus in pace Weſtphalica laborabant, ut illud lege publica ſtabiliatur. At nolebant catholici jus reformandi in illos transferre, niſi prius edant titulum, ex quo jus iſtud prætendant. Allegabant illi pro titulo jus ſuperioritatis territorialis, atque parum abſuit, quin catholici annuerent. At rebus melius inſpectis intellexerunt catholici titulum ſuperioritatis territorialis illegitimum; & jure divino reprobatum eſſe, ideo de titulo alio quaſi medio, cum pax aliter obtineri haud potuerit, fuit cogitatum, & in id conventum, ut pro titulo juris reformandi aſſumeretur praxis imperii fundata tamen in ſuperioritate territoriali, quatenus praxis haberet rationem tituli, ſuperioritas autem territorialis eſſet conditio, ſine qua non. Ideo vero catholici maluere *praxim imperii*, quam *jus territorii* in titulum aſſumere, quia nomen praxeos eſt potius nomen facti, quam juris, atque adeo pro mera uſurpatione in quam ex neceſſitate a catholicis conſcendendum fuit, accipi poteſt.

§. 332. *A ſola qualitate feudali jus reformandi non dependet.* Jus reformandi a ſuperioritate territoriali tanquam a conditione ſine qua non, dependet, (§. 331. cum ſchol.) atqui ſola qualitas feudalis cum ſuperioritate territoriali non eſt connexa, (§. 329.) ergo neque *dominium directum* a ſuperioritate territoriali ſejunctum, neque *dominium utile* ad jus reformandi ſufficit, niſi vaſallus præter dominium utile etiam jus territoriale in feudo exerceat. Inſt. pac. Oſnab. Art. 5. §. 42.

Corol. Hinc reddi poteſt ratio, cur Imperator in capit. promittat: quod jura ſtatuum turbare nolit *ſub prætento ſuperioritatis feudalis.*

§. 333. *Sola jurisdictio criminalis, ſolumque jus gladii jus reformandi non tribuit.* Jurisdictio criminalis (Zentgericht *) & jus gladii ſuperioritatem territorialem non includit, quoniam non rarum eſt in imperio, ut alius jus territorii, alius *imperium merum*, ſeu jus gladii habeat, quum itaque jus reformandi a jure territoriali dependeat, (§. 331.) ſolum jus gladii illud non tribuit. Inſt. pac. Oſnabr. Art. 5. §. 44.

* Zentgericht, *vel* Blutbann, *ſive Magiſtratus criminalis* (ait Hubnerus in ſuo lexico) *eſt particularis in Germania poteſtas ad puniendo crimina capitalia* (*cujusmodi ſunt occiſio, furtum, incendium, ſtuprum violentum*) *in quodam provinciæ circulo, quamvis ibi nulli vel pauci ſint ſubditi. Huic tribunali præponitur aliquis* Zent-Comes *aut Præfectus cum aliis Officialibus. Vocabulum* Zent *ab antiquis Germanis eſt, qui territorium in pagos vel comitatus & gravias, baſque rurſus in centenas dividebant.*

§. 334. Res in ſecuritatem debiti data, *pignus* dicitur. Si itaque territorium eſt pignori obnoxium, tum creditori poſſeſſioni incumbenti, etſi jus reformandi non videatur denegandum, facta tamen reluitione domino directo eſt liberum in hujusmodi terras oppignoratas ad ſe reverſas ſuæ religionis exercitium introducere. Subditi tamen migrare, aut priori ſub poſſeſſore terrarum oppignoratarum ſuſceptam religionem mutare haud coguntur. I. P. O. Art. 5. §. 27.

§. 335. Fac jus territoriale ſtatibus eſſe controverſum, aut eſſe commune ita, ut catholici, & A. C. ſtatus ex æquo jure ſuperioritatis fruantur, tum quid juris cum jure reformandi ſit, cum illud a ſuperioritate territoriali pendeat, (§. 331.) quæri poſſet? Et reſpondet Inſtr. P. O. Art. 5. §. 43.: *Territorii jure ante, vel poſt terminum anni 1624. controverſo, donec ſuper poſſeſſorio & petitorio cognoſcatur, & decidatur, poſſeſſori præfati anni idem jus eſto, quantum equidem ad publicum exercitium adtinet. Subditi vero propter mutatam interim religionem pendente territorii controverſia migrare non cogantur. In iis locis, ubi catholici, & A. C. ſtatus ex æquo jure ſuperioritatis fruuntur, tam ratione publici exercitii, quam aliorum religionem concernentium, idem ſtatus maneat, qui fuit anno, dieque ſupra dictis*, nimirum 1624. die 1. Jan.

§. 336. Libera reformandi poteſtas dominis territorialibus tamdiu in poſſeſſione manet, donec ejus limitatio, aut reſtrictio a ſubditis ex jure imperii legitime demonſtrata non ſit. Hujuſmodi limitatio in ipſo inſtrumento pacis Art. 5. §. 31. ſequentibus verbis adfertur: *Statuum catholicorum Landſaſſii, vaſalli, & ſubditi cujuſcumque generis, qui ſive publicum, ſive privatum A. C. exercitium anno 1624. quacunque anni parte, ſive certo pacto, aut privilegio, ſive longo uſu, ſive ſola denique obſervantia dicti anni habuerunt, retineant id etiam in poſterum una cum adnexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuiſſe probare poterunt. Cujuſmodi adnexa habentur inſtitutio conſiſtoriorum, miniſtrorum tam ſcholaſticorum, quam eccleſiaſticorum, jus patronatus, aliaque ſimilia jura, nec minus maneant in poſſeſſione omnium dicto tempore in poteſtate eorundem conſtitutorum templorum, fundationum, monaſteriorum, hoſpitalium cum omnibus appertinentiis, reditibus, & acceſſionibus.*

Corol. Cum exercitium religionis proteſtanticæ ſub Principibus catholicis degentium ſit regulandum ad annum 1624., recte is annus *normalis*, *regulativus*, & *decretorius* dicitur.

Schol. Ratio, cur prædicta limitatio juris reformandi ſit facta, eſt hæc, quia (cum jus reformandi ſtatibus omnibus lege publica ſit confirmatum §. 331.) metuebant, ne ſubditis proteſtanticis catholicorum Principum deterius quid contingat, quare omnibus viribus urgebant, ut Principes catholici ſubditis ſuis A. C. addictis ſuæ religionis exercitium ita indulgerent, ne amplius emigrare cogantur, cui petitioni catholici cum legatis cæſareis conſtanter contradixerunt. Poſt multas deliberationes, & controverſias in id tandem conventum eſt, ut liberum religionis exercitium illis relinquatur, qui illud anno normali 1624. habuerunt.

§. 337. Qui anno normali religionis proteſtanticæ habuerunt exercitium ſive publicum ſive privatum, etiam in poſterum habeant. (§. 336.) Conſiſtit vero *publicum* religionis exercitium in his, quod publica ſit conceſſum autoritate, quod in loco peragitur cuique patenti, quod ritibus, & ceremoniis ſolennibus celebratur. Ex his facile intelliges, quid ſit exercitium religionis *privatum*.

§. 338. Cum illis Principum catholicorum ſubditis, qui anno normali ſeu publicum, ſeu privatum religionis proteſtanticæ exercitium (§. 337.) habuerunt, idem etiam in poſterum una cum adnexis lege publica imperii ſit permiſſum, (§. 336.) tolerandi ſunt, & quidem *neceſſario*. Qui autem dicto anno neutro gaviſi ſunt, aut qui a pace publicata diverſam a domino territorii religionem profeſſi ſunt, poteſt quidem illos, ſi *velit*, non tamen cogitur tolerare. Ita patet, quid in imperio romano-germanico ſit tolerantia *neceſſaria*, quid *gratuita*. (§. 298.)

§. 339. Qui vero nec publico, nec privato religionis Proteſtanticæ exercitio anno normali fruebantur, his, ſi diverſam a domino territoriali religionem profiteri velint, non niſi emigratio eſt conceſſa, & detineri a domino territorii

Digitized by Google

rii nequeunt, etſi ſint *homines proprii* glebæ, aut fundo adſcripti, modo ſe a vinculo proprietatis ſoluto conſueto manumiſſionis pretio liberent.

Schol. Proteſtantes maxime laborabant pro impetranda libertate conſcientiæ, ſeu *autonomia*: at Ferdinandus Imp. declarabat, ſe malle abrumpere omnes tractatus pacis, quam in hoc conſentire. Ut tamen libertati conſcientiæ quodammodo conſulant, in id conſenſere ſtatus & Imperator, quod ſubditis diverſam a domino territoriali religionem profitentibus emigrare liceat, id quod regulariter non licet; nam emigratio eſt diſceſſus perſonæ nexui civili adſtrictæ e civitatis territorio ſine animo redeundi factus, atque adeo per emigrationem ſe aliquis officiis perfectis, & affirmativis exſolvere tentat, quorum expletionem per pactum unionis & ſubjectionis promiſit, quod utique ſine conſenſu univerſorum, aut Imperantis ſaltem tacito fieri nequit. Neque juvat dicere, ſubditum ſe tantum ſubjeciſſe, quamdiu ſubditorum numero continetur, quod facta emigratione ceſſat; nam promiſit utique ſe ſemper velle ſubditorum numero contineri, eo ipſo, quod promittit civitatem. Falſum pariter eſt, nullum per emigrationem Imperanti inferri præjudicium, ſiquidem Imperans jure, quod in civem habet, invitus privari nequit, præterquam quod etiam jus turbetur univerſorum, quo in emigrantem utuntur.

§. 340. Dominus territorialis ſubditis ſuis emigrationem prohibendi jus habet, (§. 339. ſchol.) ergo ſi in emigrationem conſentit, emigrare volentibus beneficium præſtat. In pace VVeſtphalica ſubditis diverſam a domino territorii religionem profitentibus emigratio eſt conceſſa, (§. 339.) recte itaque licentia emigrandi *beneficium emigrationis* dicitur, & quidem beneficium *flebile*, quia ſubditis difficile accidit ſolum patrium purgare, & in terras alienas non ſine gravi rei œconomicæ damno migrare.

§. 341. Subditis a domino territorii diverſam religionem profitentibus, niſi anno normali ejusdem habuere exercitium, non tantum eſt licitum emigrare, (§. 339.) ſed etiam a domino territorii, cum eos tolerare non teneatur, (§. 338.) ad emigrandum cogi poſſunt. (§. 297. corol.) *Sive vero quis ſponte emigraverit, aut a territorii domino juſſus fuerit, liberum ei ſit, aut retentis bonis, aut alienatis diſcedere, retenta per miniſtros adminiſtrare, & quoties ratio id poſtulat ad res ſuas inſpiciendas, vel perſequendas lites, aut debita exigenda, libere & ſine litteris commeatus adire.* Inſt. pac. Oſnab. Art. 5. §. 36.

§. 342. Terminus ad emigrandum iis, qui anno normali neque publicum, neque privatum religionis ſuæ exercitium habuere, non minor quinquennio, illis vero, qui poſt pacem publicatam religionem mutant, non minor triennio præfigitur, *neque ſive voluntarie, ſive coacte emigrantibus nativitatis, ingenuitatis manumiſſionis, noti opificii, honeſtæ vitæ teſtimonia denegentur, aut iidem reverſalibus inuſitatis, vel decimationibus ſubſtantiæ ſecum exportatæ plus æquo extenſis prægraventur.* Inſt. pac. Oſnab. Art. 5. §. 37.

§. 343. *Jus transplantandi* eſt jus ſubditos jubendi, ut ex uno territorii loco in alium, intra tamen limites territorii exiſtentem, domicilium ſuum transferant.

§. 344. *Dominis territorialibus jus competit ſubditos poſt annum normalem religionem mutantes transplantandi, etſi ipſi maluerint eligere beneficium emigrationis, quam transplantationis.* Dominus territorialis jus habet ſubditis emigrationem prohibendi; (§. 339. ſchol.) proin hoc jure tamdiu privari nequit, donec nihil menti, & fini paciſcentium ſubditis religionem mutantibus emigrationem concedentium (§. 339.) contrarium agitur. Finis, ob quem paciſcentes in emigrationem conſenſerint, fuit, ut libertati conſcientiæ conſulatur, (§. 339. ſchol.) at hic finis ſemper obtinetur, ſive ſubditi emigrent, ſive tranſplantentur, eſt itaque in domini territorialis poteſtate ſubditos tranſplantandi, etſi ipſi emi-

Digitized by Google

grationis beneficium eligant, ſecus enim illi melioris eſſent conditionis, quam ſubditi eandem cum domino territoriali religionem profitentes, qui juſtis ex cauſis tranſplantari poſſunt.

§. 345. *Jus ſimultanei innoxii* in ſenſu juris publici Germaniæ eſt jus introducendi coexercitium religionis, quæ anno normali (§. 336. corol.) non viguit, modo ſubditi in religionis ſuæ exercitio anno normali habito non impediantur.

Schol. Fac Principem catholicum in ſuo territorio, in quo anno normali ſola religio proteſtantica viguit, introducere exercitium religionis catholicæ ita, ut ſubditi in exercitio religionis proteſtanticæ anno normali habito non impediantur, tum is jus ſimultanei innoxii exercebit.

§. 346. *Ex littera, ordine, & fine paragraphi trigeſimi primi articulo quinto pacis oſnabrugenſis intelligitur, illum exceptionem a paragrapho præcedenti trigeſimo, ipſum vero paragrapho trigeſimum regulam relate ad ſubſequentem paragraphum trigeſimum primum eſſe.* In paragrapho 30. Art. 5. dominis territorialibus jus reformandi conceditur, in ſequenti vero ad annum normalem reſtringitur per verba: *Hoc tamen non obſtante* &c. Jam vero hæc verba nihil indicant, niſi exceptionem, ſicut hæc verba: *Omnes ſubditi ſolvant tributum, hoc tamen non obſtante illi*, qui anno regulativo qualicunque immunes erant, etiam poſthac ſint. Itaque ex *littera* intelligitur, §. 31. Art. 5. eſſe exceptionem a regula in §. præc. 30. poſita. Id, quod erat primum.

Illum ſemper ſolemus obſervare ordinem, ut primo loco ponamus regulam, & dein exceptionem per hæc, aut ſimilia verba *excepto*, aut *hoc non obſtante*, atqui idem in caſu poſito habetur, proin *ordo* indicat: §. 31. eſſe exceptionem a regula in §. 30. poſita. Id quod erat alterum.

Finis §. 31. fuit jus reformandi incircumſcriptum reſtringere, & ſubditos proteſtanticos immunes reddere a neceſſitate emigrandi. (§. 336. ſchol.) Finis hic ſemper manet, etſi §. 31. non novam conſtituit regulam, ſed ſolum pro exceptione §. præc. 30. habeatur, atque ita habes id, quod erat tertium.

§. 347. *Jus ſimultanei innoxii dominis territorialibus competit.* Sub jure reformandi dominis territorialibus conceſſo continetur jus religionis exercitium concedendi. (§. 331.) Hæc poteſtas nullam habet reſtrictionem, & exceptionem, niſi hanc, quod exercitium religionis anno normali habitum ſalvum eſſe debeat, (§. 346.) ergo ex regula §. 30. Art. I. P. O. poſita exercitium religionis introducere poſſunt, quod anno normali non viguit, modo ſubditi in religionis exercitio anno normali habito non impediantur ob exceptionem in §. ſequenti 31. poſitam, (§. 346.) atqui hoc ipſum eſt jus ſimultanei innoxii, (§. 345.) liquet itaque propoſitum.

Schol. 1. Jus ſimultanei innoxii non poſſe exercere Principes proteſtanticos & reformatos inter ſe, ita, ut ſi Principi proteſtantico in territorio ſuccedat reformatus, & viciſſim, deciſum eſt in Art. 7. §. 1. P. W.

Schol. 2. Qui jus ſimultanei innoxii dominis territorialibus denegant, in eo maxime laborant, ut oſtendant §. 31. Art. 5. non eſſe meram exceptionem a regula in §. præc. 30. poſita, ſed ipſum eſſe regulam, quod ex §. 33. Art. 5. oſtendere conantur, in quo annus normalis regula adpellatur. Addunt etiam ſimultaneum innoxium repugnare identitati ſtatus per hæc P. O. Art. 5. §. 31. verba introductæ, *quatenus exercuerunt, exerceant etiam poſthac*, cum ſit aliud exercere religionem privative, & aliud cumulative, ſeu ſimultanee, ſicut aliud eſt habere jus venandi privative, aliud cumulative. Verum non ſunt hæc tanti momenti, ut jus ſimultanei innoxii evertere poſſint, ſiquidem annus normalis in Inſt. pac. quidem adpellatur regula, ſed tantum *particularis*, qualis eſt omnis exceptio, vel ſi eſt regula, eſt talis reſpectu ſubditorum eatenus, quatenus ad annum normalem provocare poſſunt, ſi vel emigrare jubeantur, vel in ſuo religionis exercitio turbentur, ſalvo tamen jure reformandi, reſpectu cujus annus hic habet

vim

vim meræ exceptionis. Falſum item eſt paciſcentes identitatem ſtatus introduxiſſe; nam verba hæc: *quatenus exercuerunt*, non ad ipſum ſtatum, ut identicus eſſe debeat, ſed potius ad exercitium religionis anno normali habitum ſpectant, quod quidem ſubditis ſalvum manere, non tamen privative illud, quud anno 1624. habebatur, exerceri debet. Nihil igitur amittit religio proteſtantica, at amittit aliquid jus venandi privative habens, ſi alius in conſortium admittatur. Dein demus, paciſcentes identitatem ſtatus introduxiſſe, intelligendum id ſolum erit quoad illas eccleſias, in quibus exercitium religionis proteſtanticæ anno normali habebatur, non vero quoad integras civitates, & provincias.

Schol. 3. Neque Art. 4. pacis Ryſwicenſis ſimultaneo innoxio repugnat, quoniam in hoc caſu fieret *noxium*, & innoxium eſſe ceſſaret.

§. 348. Denique eccleſia *Proteſtantium* una cum illa *Reformatorum* ita in Germania jure civitatis eſt donata, ut jura illius cum juribus eccleſiæ catholicæ in imperio romano-germanico ſint æqualia, ita, ut *quod uni juſtum eſt*, *alteri quoque juſtum ſit*. Inſt. pac. Oſnabr. Art. 5. §. 1. Art. 7. §. 1.

Corol. Conſectaria æqualitatis inter tres dictas religiones ſunt *primo*: quod in camera imperiali par ex utraque religione adſeſſorum numerus eſſe debeat. Art. 5. §. 53. *Secundo*: nemo ob diverſitatem religionis deterioris in vita civili ſit conditionis. Art. 5. §. 35. *Tertio*: quod matrimonia proteſtantium ſint habenda pro legitimis. *Quarto*: quod Imperator æqualem advocatiam, & protectionem proteſtantibus, & reformatis præſtare debeat, quam præſtat catholicis. Etſi enim romani Imperatores ſpeciali modo romanæ eccleſiæ ſint protectores, tamen hoc non obeſt, quo minus ſimul ſpeciatim ſint protectores, & executores pacis Oſnabrugenſis. Neque enim poterant Imperatores Sedi pontificiæ aliam advocatiam eccleſiæ romanæ promittere, niſi talem, quæ cum legibus fundamentalibus, & pactis publicis haud pugnat. Atque ita vides rationem cur Imp. in cap. cæſar. Art. 1. §. 10. promittat: *Quod autem in hoc articulo ad Sedem Romanam ſpectat, Imperii Electores, Principes, Status, Equites &c. confeſſioni Auguſtanæ addicti, nolunt nos eo adſtrictos eſſe, ut religioni eorum & paci Oſnabrugenſi præfata* Advocatia *officere poſſit; quam illis omnibus æqualis protectio concedatur*.

§. 349. At nihil hæc, quæ de jure reformandi ſtatuta ſunt, ad regna, & provincias domus auſtriacæ adtinent, *quorum intuitu regia Majeſtas Sueciæ, & Auguſtanæ Confeſſionis ordines ſibi nihil aliud reſervarunt, quam facultatem apud ſuam cæſaream Majeſtatem, pace tamen ſemper permanente, & excluſa omni hoſtilitate ulterius reſpective interveniendi, & demiſſe intercedendi*. Art. 5. §. 41.

§. 350. Hæc de perſonis præcipue notanda erant. Videamus etiam quid circa bona, ob diffidia religionis exorta in Germania ſit conſtitutum. (§. 327.) Bona eccleſiaſtica ſunt aut immediata, aut mediata. Immediata rurſus duplici ratione ſpectari poſſunt. Nimirum vel ſunt immediata *ratione eccleſiaſtica*, vel *ratione civili*. In priori ſenſu ea bona immediata vocantur, quæ jure canonico ſunt exempta, ſive quæ immediate Sedi apoſtolicæ ſunt ſubjecta, uti epiſcopatus Baſileenſis, & Bambergenſis; in poſteriori vero ſenſu illarum eccleſiarum bona immediata ſunt, quarum præſules immediate Imperatori in civilibus ſubſunt.

§. 351. *Amneſtia* communiter pactionibus pacis addi ſolita, eſt oblivio perpetua malorum & offenſionum, quas partes belligerantes ſibi durante bello intulerunt.

§. 352. *Motus bohemici* ſunt motus illi in Bohemia anno 1618. facti, qui bello tricennali pacem VVeſtphalicam præcedenti (§. 45. proleg.) initium dedere.

Schol. Nimirum ſtatus proteſtantici Bohemiæ ob violatam (ut ajebant) licentiam novas extruendi eccleſias, quam a Rudolpho II. acceperant, arma arripuere, & repudiato ſuo Re-

Digitized by Google

Rege Ferdinando II. eligere conati ſunt Fridericum electorem Palatinum, cujus regnum tamen non fuerat diuturnum, cum prope Pragam in monte albo anno 1620. exercitu deleto ab Imperatore fuerat proſcriptus, & electoratu ſuo privatus, qui in Maximilianum Bavarum ex conventione anno 1623. eſt translatus.

§. 353. Amneſtiæ ea non eſt vis, ac natura, ut ex ſe reſtitutionem bonorum tempore belli ereptorum efficiat, at hoc non obſtante conventione ſingulari in pace VVeſtphalica Art. 3. §. 1. eſt cautum, ut juxta univerſalis, & illimitatæ amneſtiæ fundamentum univerſi, & ſinguli S.R.I. Electores, Principes, Status (comprehenſa immediata imperii nobilitate) eorumque vaſalli, ſubditi, cives & incolæ, quibus occaſione Bohemiæ, Germaniæve motuum, aut fœderum hinc inde contractorum ab una vel altera parte aliquid præjudicii aut damni quocunque modo, vel prætextu illatum eſt - - reſtituti ſunto plenarie in eum utrinque ſtatum in ſacris, & profanis, quo ante deſtitutionem gaviſi ſunt, aut jure gaudere potuerunt.

Corol. 1. Ergo duo requiruntur ad obtinendam ex capite amneſtiæ reſtitutionem, nimirum ut damnum ſit datum occaſione motuum Germaniæ Bohemiæve, aut fœderum, & ut ſit datum ab una alterave fœderatorum parte.

Corol. 2. Cum motus bohemici ſint cauſa petendæ reſtitutionis, (corol. præced.) hique anno 1618. inceperint, (§. 352.) liquet dictum annum recte pro termino reſtitutionis ex capite amneſtiæ aſſumi.

Schol. Dictum annum pro termino reſtitutionis aſſumendum eſſe, non pauci ambigunt propterea, quod neque in Art. 3. §. 1. illius ſiat mentio, neque ex verbis: *ante motus bohemicos gaviſi ſunt*, terminus quidam decretorius cum ratione erui poſſe videatur. At non eſt veroſimile, ſummos paciſcentes terminum reſtitutionis adeo vagum, & indeterminatum voluiſſe decernere, maxime cum nihil impediat, quo minus verba: *ante motus bohemicos*, in eo accipi queant ſenſu, quo accipiuntur iſta: *ante deſtitutionem*, quibus tempus proxime elapſum notari, facile omnes conſentiunt.

§. 354. Fuerant alia quoque catholicos inter & proteſtantes circa bona eccleſiaſtica gravaminum capita, quibus, cum nulla intercederet occaſione motuum Bohemiæ, Germaniæve, aut fœderum facta læſio, adeoque ex capite amneſtiæ reſtitutio peti non poſſet, (§. 353. corol. 1.) aliud quæri remedium neceſſe fuit. Ad ſopiendas itaque lites poſt diuturnam diſputationem placuit tandem mediam eligere viam, normamque conſtituere, ad quam bonorum eccleſiaſticorum facienda eſſet reſtitutio.

§. 355. Statutus eſt itaque *terminus a quo* reſtitutionis in eccleſiaſticis, & quæ intuitu eorum in politicis mutata ſunt, dies 1. Januarii anni 1624. ita, ut quicunque ſeu catholici, ſeu A. C. ſtatus dicto tempore in reali eorum poſſeſſione fuerint, uſquedum de religionis diſſidiis per Dei gratiam conventum fuerit, tranquille, & imperturbate poſſideant. Art. 5. §. 2. 14. & 15.

§. 356. *Reſervatum eccleſiaſticum* (der geiſtliche Vorbehalt) eſt cautio poſita in §. 15. Art. 5. in quo dicitur: Si catholicus archiepiſcopus, epiſcopus, prælatus electus, vel poſtulatus ſolus, aut una cum capitularibus, ſeu ſingulis, ſeu univerſis, aut etiam alii eccleſiaſtici religionem in poſterum mutarint, excidant illi ſtatim ſuo jure, honore tamen, famaque illibatis, fructusque & reditus citra moram & exceptionem cedant.

Corol. 1. Oritur itaque tali in beneficio ſedes vacans, capituloque, aut cui de jure competit, integrum eſt aliam perſonam religioni ei, quæ in anno normali in eadem viguit, addictam eligere, aut poſtulare, Art. 5. §. 15.

Corol. 2. Matrimonium a perſona eccleſiaſtica catholica initum præludium tranſitus ad ſacra A. C. præſumitur, atque adeo quamvis de jure communi clericus in majoribus ordinibus matrimonium contrahens, beneficium ipſo

ſo facto haud amittat, id tamen in Germania ob reſervatum eccleſiaſticum fieri ſat probabiliter dici poteſt. Paul. Joſ. a Riegger in Inſt. Juriſpr. eccleſ. parte 3. §. 45. edit. novæ.

Corol. Quia per reſervatum eccleſiaſticum ſolum beneficia, & bona eccleſiaſtica amittuntur, fama, & honore illibatis, ſequitur, eum qui religionem mutat contra domini directi voluntatem, vaſallum fidelem permanere, & feloniam haudquaquam committere.

Schol. Cum reſervatum eccleſiaſticum jam in pace religioſa ſit ſtatutum, magnis animi motibus in pace Weſtphalica propter illud certatum eſt. Proteſtantes enim illud magnopere impugnarunt, prætendentes libertatem conſcientiæ ita reſtringi, & religionem proteſtanticam per indirectum tanquam hæreticam, rejectamque declarari, & quod ita contingere poſſit, ut in caſu mutatæ religionis ipſi obligarentur ad eos perſequendos, qui ad eorum ſacra acceſſerint, & plura ſimilia, neque levis etiam id ipſum reſervatum fuit occaſio belli tricennalis. Quamvis vero pro eo abolendo proteſtantes in pace Weſtphalica omnibus viribus laboraverint, nil tamen aliud obtinere potuerunt, quam ut æquali jure iis frui liceat, & ad illos etiam ſit extenſum.

§. 357. Vidimus jam, quid circa perſonas, & res in Germania ob religionis diſſidia ſit ordinatum; ſupereſt adhuc, ut de judiciis dicatur. (§. 327.) In imperio romano-germanico modus negotia publica terminandi per ſuffragia majora uſus eſt receptus, utpote in natura multitudinis conſociatæ ſatis fundatus. Quapropter regulam conſtitui neque oſtendi poteſt, ante motus religionis cauſa ſuſceptos hunc modum in dubium vocatum fuiſſe. At eo ex tempore a proteſtantibus hæc concludendi ratio in cauſis religionis ſub prætextu libertatis conſcientiæ eſt impugnata. Ea enim illis erat ſententia, fini, ac indoli comitiorum repugnare, ut quidquam in iis per majorem ſuffragiorum numerum concluderetur. Poſt longam itaque inter ſtatus contentionem eſt conventum in Art. 5. §. 52. *Ut in cauſis religionis, omnibuſque aliis negotiis, ubi ſtatus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, ut etiam catholicis, & auguſtanæ confeſſionis ſtatibus in duas partes euntibus ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, non adtenta votorum pluralitate.* Eſt autem amicabilis compoſitio, definitio controverſiæ mutuo & ſpontaneo diſſentientium conſenſu facta ita, ut cauſa jurgii ſuperſit nulla.

§. 358. Tres in citato pacis Oſnabrugenſis §. enumerantur caſus, in quibus non adtenta votorum pluralitate ſola amicabilis compoſitio lites dirimit, nimirum in cauſis religionis, in cauſis, in quibus ſtatus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, & in quibus in duas itur partes. (§. 357.) Hæc ſatis intelligi nequeunt, niſi exponatur, quæ ſint pro cauſis religionis habendæ, quibus in negotiis ſtatus ut unum corpus conſiderari nequeant, & quid ſit jus eundi in partes. De ſingulis itaque in ſpecie erit dicendum.

§. 359. Cauſæ religionis in genere illæ vocantur, quæ verſantur circa religionem. Religio eſt determinatus Deum colendi modus. (§. 2.) Executio actionum, ad quas ſe quis vi religionis tum internæ, tum externæ obligatum credit, *exercitium religionis* audit. Inde vero patet, ſine Dei ejuſque perfectionum cognitione exercitium religionis nullum haberi. Ad ipſam jam divinarum perfectionum cognitionem in animum inducendam cultus externus hoc ordine eſt peragendus, ut adſint perſonæ, quæ religionis conſortes erudiant, ut aliqui ſacris functionibus, & ritibus in religione uſitatis obeundis deſtinentur, quibus alimenta ex naturali juſtitia præſtanda ſint, & tandem ut externus quidam adſit adparatus ad cultum externum peragendum neceſſarius.

§. 360. Hoc poſito jam fit, ut triplicis generis ſint cauſæ religionis, aliæ enim *ad dogmata, & eſſentialia religionis* ſpectant, aliæ in *exercitio* eſſentialium & accidentalium religionis verſantur, quædam tandem ad *perſonas, & res* eccleſiaſticas ſunt referendæ.

§. 361.

§. 361. *Ex principiis proteſtantium cauſæ religionis controverſæ comitiorum terminationi ſubſunt*. Ex principiis proteſtantium jus ſacrorum pars eſt imperii civilis, & jurisdictionis territorialis. Imperium civile in imperio romano - germanico ad ſtatuum conſenſum eſt adtemperatum. Conſenſus hic in comitiis exquiritur, atque ita conficitur: cauſas religionis proteſtantium comitiorum ſubjectas eſſe determinationi.

§. 362. Cauſæ religionis certæ, & legibus imperii determinatæ *judiciales* adpellantur. Porro ſat clarum eſt, in præſenti eas ſolum conſiderandas eſſe, de quibus nondum inter omnes convenit, nam cauſas religionis certas definire quid adtinet? quas, ſi quis novandi ſtudio pervertere conaretur, ad judicis autoritatem pertinet ex legum præſcripto tueri, ſiquidem in cauſis religionis definitis tam ſupremorum imperii tribunalium quam pro re nata dominorum territorialium fundata eſt jurisdictio.

Corol. Cum in judiciis ſupremorum dicaſteriorum majora concludant, cauſæ vero religionis *judiciales* ad illa pertineant, conſequitur in cauſis religionis judicialibus majora obtinere.

§. 363. *Cauſæ religionis dubiæ, eæque catholicos inter, & A. C. addictos controverſæ per amicabilem compoſitionem ſunt dirimendæ*. Inter hos enim, uti tota legis, & pacis VVeſtphalicæ hiſtoria docet, de jure tolerantiæ, jure reformandi, & bonorum eccleſiaſticorum lis erat, unde ſanctio ex amica litis hujus compoſitione reſultans, non niſi eos tangere poteſt, quos inter lis eſt compoſita.

Corol. 1. Quamobrem ſi controverſia inter ipſos catholicos, aut inter ſolos A. C. addictos, reformatosve verſetur, ad hanc P. W. ſanctionem provocari nequit, ſed pro inſtituto, & modo cujuſvis religionis proprio erit finienda. Hinc fit, ut cauſæ catholicorum judicio eccleſiæ, proteſtantium vero Principi cujuſvis territorii decidendæ relinquantur.

Corol. 2. Neque ad religiones in imperio non receptas id, quod in P. W. de amicabili compoſitione ſancitum eſt, extendi poteſt, atque adeo a concluſione per majora recedendum non eſt.

§. 364. *Cauſæ religionis proteſtanticæ controverſæ non proteſtantium duntaxat, ſed & catholicorum ſubſunt conſenſioni*. Religio proteſtantium & reformatorum mutua, & amica catholicorum & proteſtantium conſenſione civitate eſt donata, ergo pacto cum catholicis inito ſui receptionem debet. Ea vero eſt pacti vis, ac natura, unius paciſcentium autoritate mutari ut nihil poſſit, qua de cauſa cum alia ſit eccleſia, atque adeo etiam alia religio, quæ alia profitetur dogmata, (§. 2. corol.) alia autem religio præter tres in Germania receptas absque omnium conſenſu recipi nequeat, (§. 348.) infertur, nec a proteſtantibus alia poſſe recipi dogmata ſine catholicorum conſenſu.

Corol. Quod ſi itaque aut proteſtantes, aut reformati in ſpecie formulas fidei ſuæ mutare vellent, aut de jure reformandi, in quantum circa religionis exercitium verſatur, dubium emergeret, aut denique quoad jura, & poſſeſſiones bonorum eccleſiaſticorum nova, & per pacem Weſtphalicam nondum determinata oriretur quæſtio, hæc ex mutua, & ſpontanea utriuſque religionis ſtatuum conſenſione finienda foret.

§. 365. *Religio catholica ad comitia nequaquam pertinet*. Satis conſtat, de religionis catholicæ ſeu veritate, ſeu poſſeſſione tam quoad dogmata, quamquoad ejus exercitium inter ordines imperii nunquam fuiſſe diſputatum. Una erat proteſtantium intentio, ſuam religionem communi ſtatuum conſenſu donari civitate. Religio itaque catholicorum priſtinum ſtatum etiam poſt pacem VVeſtphalicam obtinet. Quia vero ex priſtino religionis catholicæ ſtatu cauſarum

Digitized by Google

rum religionis controverſarum deciſio ad eccleſiam pertinet, (§. 10.) relinquitur, religionem catholicam determinationi comitiorum haud quaquam ſubeſſe.

Corol. Quia religio catholica etiam poſt pacem Weſtphalicam priſtinum retinet ſtatum, & jam pridem catholicorum fuerit dogma: *Id eſſe de fide, quod eccleſia credendum proponit*, (§. 11.) hodie quoque integrum eſt catholicis quaſcunque doctrinas ab eccleſia probatas recipere, quin neceſſe ſit amica quadam in comitiis compoſitione eas recipi.

§. 366. *In cauſis de turbata religionis poſſeſſione controverſis ſtatus tanquam corpus unum conſiderari nequeunt.* Cauſæ religionis proteſtanticæ inter eos & catholicos controverſæ ad comitia pertinent, (§. 361.) ita ut amica utriusque religionis ſtatuum conſenſione finiri debeant, (§. 363.) non item catholicorum, qui controverſiarum judicem eccleſiam agnoſcunt. (§. 365.) Intereſt tamen catholicorum in *poſſeſſionem* religionis ſuæ, qui eam diffitentur non turbari, intereſt & proteſtantium, ſi aut ex defectu, aut deperditione publicorum inſtrumentorum de religionis, vel ejus exercitii poſſeſſione eos inter, & catholicos oriatur controverſia, ab ea non dejici. Cauſa poſſeſſionis cauſa religionis proprie non eſt: (§. 360.) ergo in prima parte §. 52. Art. 5., nimirum *in cauſis religionis* (§. 358.) comprehendi nequit. Quia tamen pro objecto litis *poſſeſſionem religionis* habet, cujus ratione ſtatus ut unum corpus conſiderari, atque jurisdictioni coactivæ, ex fine civitatis oriundæ, ſubjici nequeunt, concluditur, ad illam pacis VVeſtphal. ſanctionem, quæ vult cauſas, in quibus ſtatus ut unum corpus conſiderari nequeunt, amicabili compoſitione terminari, (§. 358.) cauſas de turbata religionis poſſeſſione controverſas pertinere, idque eo magis, quod ſtatus catholici, & proteſtantes per pacem VVeſtphal. non unius, ejusdemque civitatis, ſeu corporis, ſed unius ſolummodo religionis membra eſſe deſierint.

Schol: Ad cauſas illas, in quibus ſtatus tanquam corpus unum conſiderari nequeunt, nec negotia ſtatuum privata, nec negotia judicialia, nec proprie, & improprie comitialia, nec etiam ſingulorum jura pertinere, juris publici Germaniæ ſcriptores ex profeſſo hac de re tractantes ſatis oſtendunt.

§. 367. *In partes ire* ſtatus dicuntur, cum pars minor ſtatuum concluſo partis majoris ea de cauſa ſe opponit, quod ſibi ex eo damnum imminere judicat. Effectus juris in partes eundi eſt, ut proteſtatione partis minoris, ſi gravetur, executio concluſi partis majoris ſuſpendatur.

§. 368. Probatio gravaminum incumbit parti contradicenti, quæ ſi probabilibus argumentis haud deduxerit, principiis juris publici univerſalis quidem eſt conforme, a majori parte factum concluſum valere. At vero ex principiis juris publici Germaniæ, niſi amice compoſita ſit lis, effectu omni deſtituitur, (§. 357.) quod ſalutis communis cauſa placuit contra regulam alias obſervanda.

Corol. Patet itaque diſcrimen inter jus eundi in partes, & inter *factionem*, cui pro ratione voluntas.

§. 369. *Jus eundi in partes obtinet ſolum inter catholicos, & proteſtantes.* Id enim lex ipſa indicat, in qua habetur: *uti etiam catholicis, & Aug. Conf. ſtatibus in duas partes euntibus*, quare tum ſtatus in partes iviſſe cenſendi ſunt, quando alteram partem ſoli catholici, alteram ſoli Aug. Conf. addicti conſtituunt.

Corol. Falluntur ergo proteſtantes, dum ajunt; itionem in partes per majora *corporis*, ut dicitur *evangelici*, ſeu *voto communi* induci poſſe.

Schol.

Schol. Iverunt quidem proteſtantes dicto modo quandoque in partes, uti anno 1712. die 22. Auguſt. *in re Togenburgica*, anno 1717. die 15. Januarii *in Coloniæ Moderationis re*, anno 1727. *in Zvvingenburgica re*, anno 1764. in voto oſnabrugenſi, ſed ſemper huic per *votum commune* in partes itioni catholici contradixere, ut adeo ex frequentatis actibus nullum ſibi jus adſerere poſſunt.

§. 370. *Jus eundi in partes ſe etiam ad catholicos extendit*. Eſt enim perfecta inter utriusque religionis ſtatus jurium æqualitas in pace VVeſtphalica inducta. (§. 348.)

§. 371. *Jus eundi in partes non datur, niſi ob cauſas religionem concernentes*. Jus eundi in partes eſt exceptio a jure naturali, vi cujus in ſocietate majora concludunt. Extenſio exceptionis ex fine, ob quem eſt facta, deſumi debet. Exceptio eſt facta ob *motus religionis cauſa* excitatos, ergo jus eundi in partes in negotiis a religione omnino ſeparatis obtinere nequit. Quia vero in cauſis religionis proprie dictis non habetur, cum hæ in prima parte §. 52. Art. 5. a votorum pluralitate ſunt exemptæ, (§. 357.) nil aliud ſupereſt, niſi ut dicatur, illud obtinere in cauſis religionem concernentibus.

§. 372. Fieri poteſt, ut ex deciſione cauſæ comitialis, & politicæ unius, alterinſve partis ſacra periclitentur, ut ſi ex bello ſecundum majora ſuffragia imperii decreto ex pace concluſa, ex inito fœdere, aut lata imperii lege ſacris alterius detrimentum paretur. Cauſas hujusmodi comitiales, & politicas reſpectum *realem* ad religionem habere, ſeu *realiter* religionem concernere dicimus. Si vero ex concluſo partis majoris ſtatibus numero paucioribus præciſe ita ſpectatis, in quantum certæ religioni ſunt addicti, præjudicium quoddam, aut jurium imminutio immineat, uti ſi ex odio ad partem minorem deprimendam, aut dominatus in eam exercendi cauſa concluſum per majora eſt factum, *perſonalis* ad religionem reſpectus habetur.

§. 373. *Jus eundi in partes in ſolis cauſis comitialibus & politicis ad religionem reſpectum aut realem, aut perſonalem habentibus obtinet*. Jus eundi in partes habetur, ſi pars minor ſe gravatam judicat, (§. 367.) non quidem in ipſis cauſis religionis, ſed in cauſis religionem concernentibus, (§. 371.) atqui cauſæ de natura ſua politicæ quidem, attamen reſpectum realem aut perſonalem ad religionem habentes, ſunt cauſæ religionem concernentes, ex quibus pars minor ſibi damnum imminere judicat, (§. 372.) patet itaque propoſitum.

Corol. Contraria itaque paciſcentium menti eſt doctrina, qua proteſtantes jus eundi in partes adeo late tradunt, ut ſe ad cauſas a religione ſeparatas extendat, atque ita minus recte illud a quibuſdam ad quæſtiones banni imperii trahitur. Mens enim paciſcentium non erat, niſi ut religioni proteſtantium conſuleretur, quin propterea ſalus civitatis publica quid detrimenti timendum habeat, conſultum vero religioni eorum ſatis eſt, modo in cauſis politicis reſpectum aut *realem*, aut *perſonalem* ad religionem habentibus, iis in partes ire liceat. In certam vero, & non evitandam vergit reipublicæ ſubverſionem, ſi jus iſtud ad cauſas comitiales qualeſcunque extenderetur, quoniam ita pauciores optima licet partis majoris ſuffragia irritabunt.

§. 374. Ex hucusque dictis liquet, in imperio romano germanico cauſas religionis controverſas poſt pacem VVeſtphalicam exortas aut ordinaria juris via, aut compoſitione amicabili eſſe terminandas. Alius jus ſuum perſequendi modus fundamentali imperii legi repugnat, qua *violentia omnis, & via facti inter utramque partem perpetuo eſt prohibita, nullique omnino ſtatuum imperii licet jus ſuum vi aut armis proſequi*. Art. 5. §. 1. & Art. 17. §. 7. pacis Oſnab.

CON-

CONSPECTUS CAPITUM.

PROLEGOMENA.

Caput primum. De definitione, & diviſione juris eccleſiaſtici - - - §. 1.
Caput ſecundum. De principiis juris eccleſiaſtici - - - - - - §. 8.
Capitis ſecundi adplicatio ad Germaniam §. 20.

Sectio prima.

Caput primum. De definitione, & diviſione eccleſiæ - - - - - §. 1.
Caput ſecundum. De jure determinandi in eccleſia - - - - §. 6.
Caput tertium. De eccleſiæ poteſtate legislativa, & judiciaria - - - §. 18.
Caput quartum. De jure cogendi, & puniendi in eccleſia - - - §. 23.
Caput quintum. De ſacro eccleſiæ imperio - - - - - §. 34.
Caput ſextum. De forma imperii eccleſiaſtici - - - - - §. 50.
Caput ſeptimum. De hierarchia ſacra §. 57.

Sectio ſecunda.

Caput primum. De juribus, & obligationibus Pontificis - - - - §. 67.
Caput ſecundum. De cardinalibus, eorumque juribus - - - - §. 105.
Caput tertium. De legatis, & nunciis apoſtolicis - - - - - §. 122.
Caput quartum. De Patriarchis, Exarchis, Primatibus, & Metropolitis - - §. 130.
Caput quintum. De epiſcoporum juribus, & obligationibus - - - §. 153.
Capitis quinti adplicatio ad Germaniam §. 172.
Caput ſextum. De epiſcopis titularibus, & coadjutoribus epiſcoporum - - §. 186.
Caput ſeptimum. De canonicis, & capitulis cathedralibus - - - §. 194.
Capitis ſeptimi adplicatio ad Germaniam §. 215.
Caput octavum. De parochis - - §. 222.
Caput nonum. De clericorum juribus communibus - - - - §. 236.
Caput decimum. De clero regulari §. 252.
Capitis decimi adplicatio ad Germaniam §. 267.

Sectio tertia.

Caput primum. De juribus Principum circa ſacra in genere - - - §. 271.
Caput ſecundum. De juribus Principum circa ſacra in ſpecie - - - § 290.
Capitis ſecundi adplicatio ad Germaniam §. 326.

Digitized by Google